













Natus Aº 1582
IOHANNES GERHARDUS DOCTOR.
Denatus Aº 1637.
Joh. Dürr sculp.



4 Adest beatitudo
Tunc lubens levat altitudo
2 Tunc curat plenitudo
D. JOHANNIS GER HARDI LI. MEDITATIONES SACRÆ Ejusdemq; EXERCITIUM PIETATIS
cum PRIVILEGIO
1 Cum urget mœstitudo
Lipsiæ
Impensis Davidis Fleischeri.



MEDITATIONES SACRÆ, AD VERAM PIETATEM EXCITANDAM,

&

interioris hominis profectum promovendum accommodatæ.

Item

EXERCITIUM PIETATIS

quotidianum quadri-partitum.

EDITIO

emendatior, additisque Scripturæ S. & Patrum testimoniis,

Opera & studio

JOHANNIS GERHARDI,

SS. Theol. Doct. & in Acad. Jenens. Prof.


Accesserunt de novo figuræ æri incisæ

necnon HODEGUS.

cum Privileg. Serenis. Elect. Sax.

LIPSIÆ,

Sumt. DAVIDIS FLEISCHERI.



Amplissimis, Consultissimis ac Prudentissimis

VIRIS,

DNN. CONSULIBUS EXCONSS.

totique

ORDINI SENATORIO

Inclytæ Reipubl. Halberstatensis,

Dominis & Promotoribus suis omni observantiâ honorandis,

S.



Ui Theologiam Medicinæ conferunt, & multi sunt, & recte explicare videntur. Ut enim duplex Medicinæ finis, sanitatem in corpore humano conservare, eandemque amissam recu-

perare: Ita Theologia, quoad animæ morbos, eodem modo duplicem agnoſcit finem, oſtendit namque non ſolùm, quomodo à peccatis liberemur, ſed etiam, quomodo in gratia conſervemur. Utraque Medicina tàm corporis, quàm animæ, à Deo eſt, dicebat Gregorius: ergo etiam in autore conſentiunt. Habet Medicina certa ſua principia, λόγον ſcil. καὶ πεῖραν, quæ ob id crura quædam ejusdem appellantur, cum quibus quod conſonum, acceptat; quid diſſonum, reſpuit: Sic Theologia certum & immotum habet principium verbum DEI Propheticis & Apoſtolicis ſcriptis comprehenſum, cum quo quod conſentit acceptat: quod diſſentit, reſpuit. A[illegible] progrediuntur ulterius & oſtend[illegible] quod omnis vera Medicina ex reg[illegible] ratione, ſiquidem nihil poteſt reg[illegible]rare, quod non ipſum regeneratum: ad emundationem ergo ſpiritus vitalis ab impuris morborum tincturis, quæ eſt quaſi regeneratio quædam, requi-

run-

runtur corpora regenerata, id eſt, ſpiritus, qui ſunt corpora ſpiritualia propter penetrationem & tincturam: ac nihilominus ſunt etiam ſpiritus corporei: ita quoque verus Theologiæ finis eſt, ſpiritualis illa interioris hominis regeneratio, quam ex aqua & Spiritu fieri teſtatur veritas. *a*) Addunt etiam collationem Lapidis Philoſophici cum lapide benedicto in Eccleſia: ſed quia hæc nec omnibus nota, nec ab omnibus conceſſa, eis immorari nolo; ſufficit inſtituto meo, quod ex collatione Theologiæ cum Medicina, optima ratione colligere poſſim, Theologiam eſſe doctrinam practicam, ac proinde [illegible]nus rectè eos ſentire, qui ſpeculati[illegible] eam eſſe contendunt, quo in nu[illegible] ſunt quidam ex Scholaſticis. [illegible]vis enim non ſolum agenda, ſed [illegible]redenda ac ſperanda in hac cœ[illegible]hiloſophia proponantur, id ta[illegible]n non impedit, quo minùs practica adhuc dicatur, nam & Medicina in quo-

a) *Joh. 3. v. 5.*

rundam θεωρίᾳ occupata eſt, nec tamen propterea Theoretica diſciplina eſt, quia hanc ipſam θεωρίαν praxeos ratione ac in ordine ad praxin ſectatur; perinde ſe res habet in Theologia: ut jam non addam, in illis ipſis credendis ſive in fidei articulis non nudam notitiam, ſed & aſſenſum requiri, quem eſſe ex parte voluntatis actum, idoneis argumentis confirmant illi, ad quos hæc cura pertinet. Quod ſi Theologia eſt doctrina practica, utique etiam finis ejus non erit nuda γνῶσις, & ſubtilis θεωρία, ſed potius praxis. Hæc ſi ſciveritis, beati ſi feceritis, dicit Salvator ad diſcipulos. *a*) Non in verbis ſed in factis res noſtræ religionis conſiſtunt, dicit Juſtinus: *b*) ὐ λέγειν μόνον, ἀλλὰ καὶ εἶναι ποιεῖ χριστιανὺς, dicit Ignatius. *c*) Summa Chriſtianæ religionis eſt, imitari eum, quem colis, dicit Auguſtinus: *d*) τί ἐστι χριστιανισμὸς; θεῦ ὁμοίωσις

a) *Joh. 18, 17.* *b*) *In Parænet. 1. ad Græcos p. 25.* *c*) *Ep. 3. ad Magneſ.* *d*) *lib. 2. de Civ. Dei c. 17.*

σις καὰ τὸ ἐνδεχόμϑμον ἀνθρώπε φύσει, dicit Basilius. *a*) Quod si Christianæ religionis finis ac perfectio non est nuda γνῶσις, sed πρᾶξις, quàm paucos hodiè invenies vere Christianos! Multum ubique scientiæ, conscientiæ parùm: Recte quidem fit, quod ὀρθοδοξία libris, disputationibus, concionibus & modis omnibus defenditur, sed & vita professioni Christianæ ut respondeat, opera danda. *b*) Si omnium mysteriorum notitiam habeam, caritatem non habeam, nihil sum, inquit Apostolus. Quid ergo olim respondebunt, qui non omnium, sed paucorum; non perfectam, sed tenuem saltem mysteriorum notitiam habent, & tamen ob eam superbiunt, alios contemnunt, aliis invident, vix ulla caritatis Christianæ habitâ ratione? Asscribam hûc locum ex egregio quodam libello: *c*) Qui vult plenè & sapidè verba Christi intelligere, oportet ut vitam suam studeat illi confor-

a) *Hom. 10. hexaëm.* *b*) *1 Cor. 13, 2.* *c*) *Kempisius de imitat. Christi l. 1. c. 1.*

formare. Quid prodeſt tibi alta de Trinitate diſputare, ſi careas humilitate, unde diſpliceas Trinitati? Si ſcires tota Biblia, & omnium Philoſophorum dicta, quid totum prodeſſet ſine caritate DEI & gratia? Vanitas vanitatum & omnia vanitas præter amare Deum, & illi ſoli ſervire. *a*) Scientia ſine timore Dei quid importat? Si ſcirem omnia, quæ in mundo ſunt: & non eſſem in caritate, quid me juvaret coram Deo? Quanto plus & meliùs ſcis, tanto graviùs inde judicaberis, niſi ſanctius vixeris: noli ergo extolli de ulla vel arte vel ſcientia: ſed potiùs time de data tibi notitia. Pertinet etiam hûc Eraſmi locus: *b*) Quorſum attinet decertare, quot modis accipiàtur peccatum, privatio duntaxat ſit, an macula inhærens animæ? hoc potiùs agat Theologus, ut omnes horreant, oderintque peccatum. Digladiamur ſine fine, quid diſtinguat Patrem à Filio, & utrumque à Spiritu Sancto, res

a) *Cap. 2.* *b*) *In annot. 1. Timoth. 1. p. 464.*

res an relatio, & qui conſiſtat, tres di-
ci, quorum nullus ſit qui alius, cum
ſint una eſſentia; quanto magis ad rem
pertinet, hoc modis omnibus agere, ut
Trinitatem illam, cujus majeſtatem
ſcrutari fas non eſt, pie ſancteque cola-
mus & adoremus, illiusque concordiam
ineffabilem, noſtrâ concordiâ, quoad
licet, exprimamus, quo contingat ali-
quando & in illius adſciſci conſortium?
Diſputamus, qui fieri poſſit, ut ignis,
quo cruciabuntur impiorum animæ
cùm ſit materialis, agat in rem incor-
poream: quantò magis referebat, huc
totis viribus eniti, ne quid in nobis re-
periat ignis ille, quod exurat, &c. Re-
peto autem denuo, non rem ipſam, ſed
abuſum rei taxari: rectè ſit quod opera
ac ſtudium accuratæ cognitioni articu-
lorum fidei impenditur, rectè ſit,
quod ὀρθοδοξία contra hæreſes defen-
ditur, modo in illis ſumma ac perfe-
ctio Chriſtianæ religionis non judice-
tur conſiſtere, modo etiam vitæ Chri-
ſtianæ ac caritatis habeatur ratio. Ma-

le vivitur, ubi de Deo non benè creditur: sed vicissim inutiliter creditur, ubi non bene vivitur: vera fides non est interiùs, ubi opera non apparent exteriùs qui non ambulant in luce, nondum sunt filii lucis. *a*) Christiani non sunt, qui non Christiano dignam vitam agunt.

Ut igitur extinctæ ferè in hac frigidissima mundi senecta pietati ὑπέκκαυμα, tardis in via Domini ἐρεθιστήριον adderem, ac me ipsum, & alios officii commonerem, horis succisivis libellum hunc sacrarum meditationum conscripsi: Augustini, Bernhardi, Anshelmi, Tauleri, & aliorum in hoc genere vestigiis insistens, quorum dicta huic Enchiridio aliquoties inspergo, nuspiam tamen, quod factu fuisset facillimum, in prima editione autorum nomina addidi, sicut nec Scripturæ loca annotavi: Verebar enim, ne legentium meditatio turbaretur: non arbitror multum referre sciri, an Patrum an meis verbis aliquid exprimatur, modo quid dicatur;

a) *Ephes.* 5, 6.

tur, ſedulo attendatur: ſi cui placet, omnia, quæ in hoc libello aptè & convenienter dicta, S. Patribus tribuere, mihi ea, quæ minùs commode prolata, aſſignare non repugno, id ſolum quæro, ut fructus inde aliquis ad Eccleſiæ filios redundet: & ſane voti me participem ſtatuam, ſi vel uni animæ uno momento una aliqua pia & ſancta cogitatio ex hujus libelli lectione exurgat. Si cui verba minus Ciceroniana, minùs aptè adhibita, addo etiam ſi voculæ quædam analogiæ fidei minus commodæ (quod tamen non ſpero) occurrerint, non ſtatim hæreſeos notam mihi inurat, ſed ſcripti genus perpendat: ſacra tracto, quæ ornatum Rhetoricum non admodum deſiderant: homilias ſcribo non exactas diſputationes: rerum quam verborum majorem habere volui curam. Non hic invenies ſpinoſas quæſtiones, ſed ad vitam ſanctam ſedulas cohortationes: non hîc invenies ſcurriles facetias, ſed ſpirituales interioris hominis divitias:

 non

non hic invenies, quod ſubtilitate diſputandi te exerceat, ſed quod in humilitatis via te inſtruat. Allegorias interdum ſector, non quod omnia in allegorias transformanda cenſeam; Sed quia ſcripti genus ad docendum ac monendum, non ad pugnandum directum, eas non videbatur reſpuere. Sed quid plura hac de re addo, & quare tam multa ad muniendum me affero, cum æquis lectoribus jam dum ſatisfactum ſit, iniquis vero cenſoribus nunquam ſatis fieri poſſit.

Vobis autem, Viri Ampliſſimi, Conſultiſſimi ac Prudentiſſimi, haſce ſacras Meditationes inſcribo atque offero, ut publicum aliquod obſervantiæ erga VV. AA. meæ extet teſtimonium. Nota & deprædicata omnibus veſtra in puritate religionis conſervanda conſtantia, in Reipubl. gubernatione ſingularis prudentia, erga literatos quosvis benevolentia: hæc & ſimilia à me facile impetrarunt, ut qualescunque has ſtudiorum meorum primitias, otii mei hyema-

lis

lis usuram qualemcunque VV.AA. debita cum reverentiæ significatione offerre non dubitarem, maximè cum propter avos paternum ac maternum piæ memoriæ, quidam ex inclyto VV. AA. ordine consanguinitate ac affinitate me attingant. Accipite ergo, Viri Præstantissimi, hilari fronte ac æquo animo chartaceum à mea tenuitate munusculum, recipite me in clientelam vestram, meisque studiis, ut ante hac, ita in posterum favere pergite. Deum Opt. Max. supplicibus oro gemitibus, ut bona vestra Vobis velit esse perpetua, id est, ut sanctum verbi depositum, pacem & tranquillitatem, felix Reipub. incrementum ac omnia omnino, quæ largissime in civitatem vestram contulit bona, clementissimè conservare, ac ad posteritatem, si qua futura est, transmittere non dedignetur. JENÆ mense Apr. A. 1606.

VV. AA. Observ.
M. JOHANNES GERHARDI,
Quedlinburg.




Benevolo Lectori

S.

EDitus est ante septennium præsens hic Meditationum libellus, atque ab eo tempore aliquoties sub incudem operarum Typographicarum revocatus. Quamvis vero quædam non inutiliter addi potuerint, nolui tamen in prima editione quicquam immutare, in eo solùm multorum postulatis satisfaciendum esse tandem visum fuit, ut sublatis mendis Typographicis loca scripturæ & autorum annotarem, quæ in relectione hujus opellæ occurrebant, quo labore nostro amicè fruere, ac tuis precibus me commendatum habe.





Mors homini certa est, hora incertissima mortis,
Ne peream, semper fac mihi quo moriar.


Laß mich JEsu stets gedencken
ahn den Todt, so werd ich lencken,
Mein Hertz von der Eitelkeit,
Laß mich auch den Sünde sterben,
daß ich möge bey dir erben
dort die ewge Seeligkeit.



Conſcia mẽs recti præſtat quam mille talenta:
Vita hæc vitæ cœnaq; perpetua eſt.

Gieb, daß ich vor dir Herr Chriſt
hab ein gut Gewiſſen,
ſo werd ich zu aller Friſt
ſolcher Luſt genieſſen.







Mortuus ecce TIBI sum TU mihi Mortuus ævo
In JESU vivam qui mea vita mihi est.

Ich bin aller Eitelkeit
nunmehr abgestorben
Dann es hat die Seeligkeit
JESUS mir erworben.

De Meditationibus
DOMINI JOHANNIS GERHARDI, SS. Theologiæ Doctoris, & Prof. illustris Academiæ Jenensis eximii.

EST BREVIS in Verbis, at MULTUS pondere CODEX:
RES certant Verbis, ſingula pondus habent.
Quæ PATRES multis, paucis complectitur UNUS,
Nobilis UNIUS continet OMNE liber.
RES, ORDOque probant: argutâ perlege mente,
Atque DEI digito ſcripta fuiſſe putes.

Chriſtoph. Schwanmann,
Stadenſis, Syndicus Reipubl. Buxtehudenſis ſubſc.

INDEX MEDITATIONUM.



Est via strata plagis, per eoni Christe prehendas:
Ut mihi sit rogito Lex tua clara Phar...

Weit mir bereit die Seeligkeit,
So lass mich HERR nicht weiche
Von deinem Wort, so werd ich dort
die Ehren Cron erreichen.



DE

I.
DE VERA PECCATORUM AGNITIONE.

SANAT CONFESSIO MORBI.

SAncte *a*) Deus, *b*) juſte Judex, obverſantur oculis & animo peccata mea: in omni die de judicio cogito, quia mors impendet omni hora: in omni die de judicio cogito, *c*) quia de omni die reddenda erit ratio in judicio. Excutio vitam meam, & ecce tota eſt vana aut profana. Vanæ & inutiles multæ actiones meæ, vanæ adhuc plures locutiones, vanæ inſuper plurimæ cogitationes: Nec ſolùm vana eſt vita mea, ſed etiam profana & impia: nihil in ea invenio boni, ſi quid enim in ea videtur boni, verè bonum & perfectum non eſt, quia peccati ori-gi-

a) *Lev. 11, 45. b*) *Pſ. 7, 12. c*) *2. Cor. 5, 10.*

ginalis & corruptæ Naturæ vitiavit id contagium. Dicebat ſanctus Job: *a*) Verebar omnia opera; ſi ita conqueritur ſanctus, quid facere debet impius? *b*) Omnes noſtræ juſtitiæ ſunt ſicut pannus menſtruatæ; ſi tales noſtræ juſtitiæ, quales tandem erunt noſtræ injuſtitiæ? Si omnia feceritis, *c*) dicit Salvator, quæ mandata ſunt vobis, dicite, ſervi inutiles ſumus; ſi inutiles ſumus obediendo, certe abominabiles erimus transgrediendo. *d*) Si meipſum & quicquid poſſum, etiam quando non pecco, tibi, ſancte Deus, debeo, quid erit, quod pro peccato reddere poſſim? Ipſa noſtra, quæ talis videtur, juſtitia, divinæ juſtitiæ comparata, eſt mera injuſtitia; lucerna in tenebris fulgere cernitur, ſed in Solis radiis poſita obtenebratur: ſæpè lignum creditur rectum, ſi ad regulam non ducitur, ſed tamen ſi regulæ conjungitur, per quan-

a) *Job. 9, 28.* *b*) *Eſa. 64, 6.* *c*) *Luc. 17, 10.* *d*) *Anſh. l. 1. cur Deus homo. c. 20. Gregor. in moral.*

quandam tortuositatem, ut tumescat, invenitur; sæpe imago sigilli videbitur perfecta in oculis intuentium; & tamen multum est imperfecta in oculis artificis: ita sæpe sordet in discretione judicis, quod in æstimatione fulget operantis: alia enim DEI, alia hominum judicia. *a*) Multorum me peccatorum terret memoria; sed plura adhuc cognitionem meam fugiunt: delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me Domine. *b*) Ad cœlum oculos levare non audeo, quia offendi eum, qui in cœlis habitat; *c*) nec in terra invenio refugium, quem enim favorem sperare ausim à creaturis: cum offenderim creaturarum Dominum? *d*) Adversarius meus Diabolus accusat me: *e*) Æquissime judex, dicit ad Deum, judica istum meum esse ob culpam, qui noluit tuus esse per gratiam: tuus est per Na-

a) *Agathon Erem. ex Esa. 45, 5.* *b*) *Ps. 19, 15.* *c*) *Luc. 15, 19.* *d*) *Ap. 2, 9.* *e*) *Aug. sermon. contra pagan. Judæos & Arian.*



Transilit ut superas hæc missa sagitta per auras:
Ipsos sic cælos findo pys precibus.

Gleich wie d'Pfeil mit schneller eil
Wann durch die Wolcke zwinget
So auch mein Gebet Durch Wolcken dach
gantz ohngehindert dringet:



Naturam, meus eſt per delictorum complacentiam: tuus eſt per paſſionem, meus per ſuaſionem: tibi inobediens, mihi obediens: à te accepit immortalitatis & innocentiæ ſtolam, à me accepit pannoſam hanc peſſimæ vitæ tunicam, tuam veſtem dimiſit, cum mea ad te venit. Judica iſtum meum eſſe & mecum damnandum eſſe. *a*) Accuſant me omnia Elementa. Cœlum dicit; Ego lucem tibi miniſtravi ad ſolatium: Aer dicit; Ego omne genus avium tibi dedi ad obſequium: Aqua dicit; Ego diverſa genera piſcium tibi dedi ad eſum: Terra dicit; Ego panem & vinum tibi dedi ad nutrimentum; ſed tamen his omnibus abuſus es ad creatoris noſtri contemtum: omnia ergo noſtra beneficia convertantur tibi ad ſupplicia. Ignis dicit, in me comburatur; Aqua dicit, in me demergatur: Aer dicit, in me ventiletur: Terra dicit, à me abſorbeatur: Ignis dicit, à me deglutiatur. Accuſant me An-

B geli

a) *Hugo de ſ. Victore.*

geli sancti, quos mihi dederat Deus ad ministerium & in futura vita ad consortium, sed peccatis meis sancto eorum ministerio in hac vita & spe consortii in futura vita me privavi: Accusat me ipsa Dei vox, lex scilicet divina; aut implenda est lex divina; aut mihi pereundum, sed legem à me impleri impossibile, in æternum perire intolerabile: Accusat me Deus Judex severissimus, executor æternæ suæ legis potentissimus, illum fallere non possum, est enim ipsa sapientia, *a*) ab eo fugere non possum, est enim ubique regnans potentia. Quo ergo fugiam? *b*) ad te, ô pie Christe, Redemptor & Salvator noster unice, magna sunt peccata mea, sed major est satisfactio tua, magna est injustitia mea, sed major tua justitia: Agnosco ego, tu ignosce: aperio ego, tu operi: detego ego, tu tege: in me nihil est, nisi unde damner; in te nihil est, nisi unde salver: commisi ego multa, unde justissimè da-

a) *Ps. 139, 7.* *b*) *Aug. in Ps. 32.*

damnari posſim, ſed tu non amiſiſti, unde miſericorditer me ſalvare posſis: audio vocem in Cantico, *a*) quæ jubet me abſcondere in foraminibus petræ, *b*) tu es petra firmisſima, foramina petræ ſunt vulnera tua, in illis me abſcondam contra accuſationes omnium creaturarum. *c*) Clamant ad cœlum peccata mea, ſed fortiùs clamat ſanguis tuus pro peccatis meis effuſus: valida ſunt peccata mea ad me coram Deo accuſandum, ſed validior eſt tua pasſio ad me defendendum: injuſtisſima vita mea potens eſt ad me damnandum, ſed juſtisſima vita tua potentior ad me ſalvandum: Appello à throno juſtitiæ ad thronum miſericordiæ, nec ad judicium venire cupio, niſi ſanctisſimo tuo inter me & judicium tuum interpoſito merito.

a) *Cant.* 2, 14. *b*) 1. *Cor.* 10, 5. *c*) *Heb.* 12, 24.

II.

EXERCITIUM POENITENTIÆ EX DOMINICA PASSIONE.

PATIENTEM RESPICE CHRISTUM.

ASpice, fidelis anima, dolorem in cruce patientis, vulnera pendentis, cruciatum morientis. *a*) Caput illud Angelicis tremendum ſpiritibus, denſitate ſpinarum pungitur: facies pulchra præ filiis hominum ſputis impiorum deformatur. *b*) Oculi lucidiores ſole caligant in morte: aures, quæ audiunt Angelicas laudes, peccatorum inſultibus & ſarcaſmis perſtrepunt: os, quod divina profert eloquia, & Angelos docet, felle potatur atque aceto: pedes, *c*) ad quorum ſcabellum adoratur, clavis affiguntur: manus, quæ tetenderunt cœlos, in cruce extenſæ ſunt & clavis affixæ: corpus ſanctisſima Deitatis ſedes & purisſimum habitaculum, verberatur & lanceâ perfoditur, nec remane-

a) *Bernh. Pſ. 45, 3.* *b*) *Sir. 25, 28.* *c*) *Eſ. 66, 1. Job. 9, 8.*

mansit in eo nisi lingua, ut pro crucifigentibus oraret. *a*) Qui in cœlis regnat cum Patre; tristissimè affligitur à peccatoribus in cruce. Deus moritur, Deus patitur, Deus sangvinem fundit. *b*) Ex pretii magnitudine periculi æstima quantitatem: ex remedii pretio morbi æstima periculum. Magna omnino vulnera, quæ non nisi vulneribus vivificæ & vivificantis carnis potuerunt sanari: magnus certè morbus, qui non nisi morte Medici curari potuit.

Considera, fidelis anima, flagrantissimam Dei iram: Deprecator erat factus post primi parentis lapsum æternus ipsius & unigenitus & unicè dilectus Filius, nondum tamen aversus furor ejus: intercedebat is, per quem condidit secula, *c*) & miserorum causam in se recipiebat summus ille salutis nostræ advocatus, *d*) nondum tamen aversus furor ejus: carnem sibi induit Salvator, ut

a) *Luc.* 23, 35. *b*) *Act.* 20, 26. *c*) *Heb.* 1, 2. *d*) 1 *Joh.* 2, 1.

ut divinitatis gloria carni communicata peccatricem carnem expiaret, ut vis medica justitiæ perfectæ carni communicata, venenatam peccati qualitatem in nostra carne hærentem extergeret, & carni nostræ gratia obtingeret, nondum tamen aversus furor ejus: peccata & peccatorum merita in se transfert: corpus ligatur, cæditur, vulneratur, configitur, crucifigitur, in sepulcrum deponitur: sanguis copiosè instar roris per omnia patientis membra profluit: sanctissima anima supra modum contristatur, imo usque ad mortem tristis est: *a*) doloribus inferni subjicitur; derelinqui se à Deo clamat *b*) æternus Dei Filius: tantam sanguinei sudoris copiam profundit, tantos angores persentiscit, ut Angeli confortatione indigeat, *c*) moritur, qui omnibus viventibus vitæ dator.

Quid fiet in arido ligno, si hoc fit in viridi: *d*) quid fiet peccatoribus, si hoc fit

a) *Matth.* 26, 38. *b*) *Matth.* 27, 46. *c*) *Luc.* 22, 45. *d*) *Luc.* 23, 31.



Dummodo sit præsto Tuus Angelus, ecce timeto
Jam neminem, misso fortior non aderit

Es ist bey mir dein Engel hier,
drumb kan ichs frölich wagen
Gott schickt solch heer zur gegenwehr,
wañ feind und Teuffel plagen.



fit in justo & sancto? quomodo puniet peccata propria, qui sic sæviit in aliena? quomodo id tolerabit perpetuo in servis, quod tàm atrociter punit in Filio? quid passuri sunt, quos reprobat, si tanta patitur, quem unicè amat? Si Christus sine flagello non exiit, qui tamen sine peccato venit, quantis flagellis digni, qui cum peccato in mundum veniunt, in peccato vivunt & cum peccato exeunt? Lætatur servus, dum pro delicto ipsius tàm graviter dilectus dolet filius. Iram Domini accumulat servus, dum pro leniendâ & placandâ patris ira tantum laborat filius. O infinitam Dei iram! ô furorem ineffabilem! O justitiæ rigorem inæstimabilem! Qui in unicum, dilectissimum, suæque essentiæ participem Filium sic sævit, non propter aliquod delictum proprium, sed quia pro servulo deprecatur: quid servo faciet, qui in peccatis & offensionibus securè perseverat? Timeat servus & exhorrescat & contristetur de suis meritis, dum ob merita non sua

punitur Filius: Timeat servus, qui peccare non cessat, dum pro peccato sic laborat Filius: Timeat creatura, quæ creatorem crucifixit: timeat servus, qui occidit Dominum: timeat impius & peccator, qui pium & sanctum sic afflixit. Audiamus, charissimi, clamantem, audiamus lachrymantem, clamat de cruce: *a*) Vide homo, quæ pro te patior, ad te clamo, quia pro te morior, vide pœnas, quibus afficior, vide clavos, quibus confodior; non est dolor, sicut quo crucior: cum sit tantus dolor exterior, interior planctus est gravior, cùm te tam ingratum experior. Miserere, miserere nostri, miserator unice, & saxea nostra corda *b*) ad te converte.

a) *Bernh. in serm. de pass.* *b*) *Ezech.* *16, 14.*

III.

DE FRUCTU VERÆ ET SERIÆ POENITENTIÆ.

CHRISTUS, RESIPISCITE, CLAMAT.

FUndamentum & principium sanctæ vitæ

vitæ eſt ſalutaris Pœnitentia. Ubi enim vera pœnitentia, ibi remisſio peccatorum; Ubi peccatorum rémisſio, ibi gratia Dei; Ubi gratia Dei, ibi Chriſtus; Ubi Chriſtus, ibi ipſius meritum; Ubi Chriſti meritum, ibi ſatisfactio pro peccatis; Ubi ſatisfactio pro peccatis, ibi juſtitia; Ubi juſtitia, ibi læta & tranquilla conſcientia; Ubi tranquillitas conſcientiæ, ibi Spiritus Sanctus; Ubi Spiritus Sanctus, ibi tota Sacroſancta Trinitas; Ubi ſancta Trinitas, ibi vita æterna. Ergo ubi vera pœnitentia, ibi vita æterna. Ubi vera pœnitentia non eſt, ibi nec peccatorum remisſio, nec Dei gratia, nec Chriſtus, nec ipſius meritum, nec pro peccatis ſatisfactio, nec juſtitia, nec tranquilla conſcientia, nec Spiritus ſanctus, nec ſancta Trinitas, nec vita æterna.

a) Quid ergo pœnitentiam noſtram differimus? cur in craſtinum eam rejicimus? nec dies craſtinus, nec vera

a) *Sir.* 5, 8.

ra pœnitentia in noſtrarum virium ſunt potentia. Neque ſolùm de die craſtino, ſed etiam de hodierno reddenda eſt aliquando ratio in judicio. Non tam certus dies craſtinus, quam certus eſt impœnitentibus interitus. Promiſit Deus pœnitenti veniam, ſed diem non promiſit craſtinum: *a*) Non habet locum Chriſti ſatisfactio, niſi in corde verè contrito. Peccata noſtra dividunt inter Deum & nos, teſtatur Eſaias Propheta: *b*) per pœnitentiam autem ad ipſum revertimur. Agnoſce & dole ob peccati tui reatum, ſic Deum in Chriſto tibi ſenties placatum. *c*) Deleo iniquitates tuas, dicit Dominus: Ergo peccata noſtra conſcripta erant in cœleſti curia. Averte faciem tuam à peccatis meis, petit Propheta: *d*) Ergo punit Deus iniquitates noſtras in conſpectu ſuo. *e*) Convertere ad nos DEUS, orat Moſes: Ergo peccata dividunt

a) *Aug. hom. 2. de Innoc.* *b*) *Eſ. 59, 2.* *c*) *Eſ. 44, 22.* *d*) *Pſ. 51, 11.* *e*) *Pſ. 90, 9. & 14.*

dunt nos à Deo. Peccata nostra responderunt nobis, conqueritur Esaias: *a*) Ergo accusant nos coram tribunali divinæ justitiæ. A peccatis meis munda me, orat David: *b*) Ergo peccatum turpissima fœditas coram Deo. Sana animam meam, quia peccavi tibi, orat idem: *c*) Ergo peccatum est animæ morbus. Quicunque peccaverit mihi, delebo eum de libro meo, dicit Dominus: *d*) Ergo propter peccata ex libro vitæ delemur. Ne projicias me à facie tua, orat Psaltes: *e*) Ergo propter peccata à Deo projicimur. Spiritum sanctum tuum ne auferas à me: *f*) Ergo peccatis ex templo cordis Spiritus sanctus ejicitur, sicut fumo apes, & fœtore columbæ fugantur. *g*) Redde mihi lætitiam salutaris tui: *h*) Ergo peccata animum angunt, atque cordis succum exhauriunt. Terra infecta est ab habita-

a) *Es. 59, 2. & 12.* *b*) *Ps. 51, 4.* *c*) *Ps. 51, 6.* *d*) *Exod. 32, 32.* *e*) *Ps. 51, 31.* *f*) *Basil. in Ps. 33.* *g*) *Ps. 51, 10.* *h*) *Es. 24, 5.*

bitatoribus ſuis, qui transgreſſi ſunt legem, clamat Eſaias: Ergo peccatum eſt contagioſum quoddam venenum. *a*) De profundis clamavi ad te, Domine, ait Pſaltes: Ergo peccatis ad infernum deprimimur. Olim eramus mortui in peccatis, *b*) dicit Apoſtolus: Ergo peccatum eſt ſpiritualis mors animæ. Per peccatum mortale homo amittit Deum, Deus eſt infinitum & incomprehenſibile bonum: *c*) Deum ergo amittere eſt infinitum & incomprehenſibile malum. Sicut Deus ſummum bonum, ita peccatum eſt ſummum malum: pœnæ & calamitates non ſunt vera mala, quia ex illis multa eliciuntur bona, quin imo, quod & bona ſint, inde patet, quia ſunt à ſummo bono ſcilicet Deo, à quo non poteſt procedere niſi bonum, fuerunt in ſummo bono ſcilicet Chriſto, ſummum autem bonum non eſt particeps veri mali, ducunt etiam ad ſummum bonum ſcilicet

a) *Pſ. 130, 1.* *b*) *Eph. 2, 1.* *c*) *Granat. lib. 2. memor. c. 1.*

cet vitam æternam: per paſſionem Chriſtus intravit in ſuam gloriam, per tribulationes Chriſtiani ingrediuntur vitam æternam: *a* Summum ergo malum peccatum eſt, quia abſtrahit à ſummo bono; quantum appropinquas Deo, tantum recedis à peccato, quantum appropinquas peccato, tantum recedis à Deo. Quam ſalutaris ergo pœnitentia, quæ à peccato nos abſtrahit, & ad Deum nos reducit! Verè tam magnum eſt peccatum, quam magnus is, qui peccato offenditur, eum vero cœlum & terra non capiunt. Viciſſim vero tam magna eſt pœnitentia, quam magnus is, ad quem per pœnitentiam redimus. Accuſat peccatorem conſcientia, quam polluit, creator, quem offendit, culpa, quâ transgreſſus eſt, creatura, quâ abuſus eſt, Diabolus, cujus impulſum ſecutus eſt: quam ſalutaris pœnitentia, quæ à tantis accuſationibus liberat!

(*a*) *Act.* 14. *v.* 22.

a Properemus ergo, properemus ad tam salutarem tanti morbi medicinam! in morte si agas pœnitentiam, non relinquis peccata, sed peccata te relinquunt: vix invenies quenquam veram pœnitentiam egisse in morte, nisi unicum latronem in cruce. Quatuordecim annis servivi tibi, dicebat Jacobus *b* Labano, tempus est, ut prospiciam domui meæ, & tu, si tot annis huic mundo & vitæ servivisti, an non æquum, ut animæ incipias providere? singulis diebus caro nostra cumulat delicta, singulis ergo diebus Spiritus per pœnitentiam eadem lavet. Mortuus est Christus, ut moreretur in nobis peccatum, & nos volumus, ut vivat & regnet in cordibus nostris id, cui, ut vitam auferret, ipse Filius Dei mortuus est.

Christus non intrat in cor hominis per gratiam, nisi Joh. Baptista viam ei paret per pœnitentiam: *c* Non effundit

(*a*) *Aug. de vera & falsa pœnit.* (*b*) *Gen.* 31, 41. (*c*) *Bernh.*


dit DEUS misericordiæ oleum, nisi in vas probè contritum. *a* DEUS mortificat prius per contritionem, ut postea vivificet per spiritus consolationem: prius in infernum ducit per serium dolorem, ut ex inferno reducat per gratiæ saporem. Audiit Helias *b* prius spiritum grandem & fortem, subvertentem montes & conterentem petras, & post spiritum commotionem, & post commotionem ignem: tandem vero subsecutus tenuis & tranquillæ auræ sibilus: ita quoque gustum amoris divini præcedit terror, consolationem præcedit tristitia. Non alligat Deus vulnera tua, nisi prius illa agnoscas & deplores; non tegit DEus, nisi prius detegas; non ignoscit, nisi prius agnoscas; non justificat, nisi prius teipsum damnes: non consolatur, nisi prius in te desperes. Hanc veram pœnitentiam efficiat in nobis DEus per Spiritum suum.


(*a*) 1. *Sam.* 26. (*b*) 1. *Reg.* 19, 12.

IV.
MEDITATIO DE NOMINE JESU.
NOMINE QUID JESU SVAVIUS ESSE POTEST?

O Bone Jeſu, ſis etiam mihi JESUS, proter ſanctum tuum nomen miſerere mei: condemnat me vita mea, ſed nomen JESU ſalvabit me. *a* Propter hoc nomen tuum fac mihi ſecundum nomen tuum: cumque verus & magnus ſis Salvator, utique etiam veros & magnos reſpicis peccatores: *b* miſerere mei, bone Jeſu, in tempore miſerendi, ne damnes me in tempore judicandi. Si me intra miſericordiæ gremium receperis, non eris propter me anguſtior, ſi mihi micas bonitatis tuæ diſtribueris, non eris propterea indigentior; *c* mihi natus es, mihi circumciſus, mihi etiam Jeſus es. Quam hoc nomen ſvave & delecta-

(*a*) *Bernh.* (*b*) *Ansh. in meditat.* (*c*) *Eſa.* 9. 6. 6.





...det amor verus, cedens non imbrib, undis:
...ix sine flamma ignis, nec sine amore fides.

Laß, Herr Christ, der Liebe glut
so mein Hertz durchstreichen,
daß sie auch keinen Wasserflut
sich hernach mögen weichen.

lectabile! quid enim JESUS, niſi Salvator? quid autem ſalvatis incommodi accidere poſſit? quid ultra ſalutem adhuc aut petere, aut expectare poſſumus? accipe me, Domine JEſu, intra filiorum tuorum numerum, ut unà cum illis ſanctum & ſalvificum nomen tuum laudare poſſim. Si mihi integritatem meam ademi, nunquid tibi miſericordiam tuam peremi? Si me perdere & damnare miſer ego potui, nunquid propterea miſericors tu ſalvare me non poſſis? Noli, Domine, ſic attendere ad peccata mea, ut obliviſcaris miſericordiæ tuæ; noli ſic expendere & penſitare delicta mea, ut præponderent merito tuo. Noli ſic attendere ad malum meum, ut propterea obliviſcaris boni tui. Ne memineris iræ adverſus reum, ſed memor eſto miſerationis adverſus miſerum. Qui dediſti mihi animum, ut te deſiderare potuerim, num deſiderio meo te ſubtrahes? qui meam indignitatem & juſtam damnationem

 mi-

mihi ostendisti, num meritum tuum & vitæ æternæ promissionem à me abscondis? Coram cœlesti tribunali causa mea agenda, sed solatur me, quod in cœlesti curia Salvatoris nomen tibi assignatum, quia de cœlo nomen istud per Angelum delatum. *a* O misericordissime Jesu, cui eris JEsus, si miseris peccatoribus gratiam & salutem quærentibus non eris JEsus? Qui suæ justitiæ, suæque confidunt sanctitati, illi in se quærunt salutem: ego autem, quia in me nihil æterna vita dignum invenio, ad te Salvatorem confugio. Damnatum salva, peccatoris miserere, injustum justifica, accusatum absolve. Tu Domine veritas es, *b* nomen tuum sanctum & verum! sis etiam mihi JESUS & Salvator.

Sis mihi JEsus in vita præsente, sis mihi JEsus in morte, sis mihi JEsus in extremo judicio, sis mihi JEsus in æterna vita: Utique eris bone JEsu, quia ut

(*a*) *Luc.* 2, 21. (*b*) *Joh.* 14, 6.

ut ipſe, invariabilis es in eſſentia, ita invariabilis in miſericordia: non mutabitur tibi nomen tuum, Domine JESU, propter me unicum miſerum peccatorem, quinimo etiam mihi eris Salvator, venientem enim non ejicis forás: qui dediſti, ut venire voluerim, dabis etiam, ut veniens recipiar, verba enim tua veritas & vita. *a*

Damnet me peccati originalis in me propagatio, tu tamen mihi JEſus es: damnet me conceptio mea in peccatis facta, tu tamen mihi JEſus: damnet me formatio mea in peccatis & ſub maledictione facta, tu tamen Salvator meus es: damnet me corrupta nativitas mea, tu tamen ſalus mea: damnent me juventutis meæ peccata, tu tamen JEſus meus: damnet me totius vitæ peccatis graviſſimis maculatæ transactio, tu tamen JEſus meus manes: damnet me mors pro peccatis & culpis variis mihi infligenda, tu tamen Salvator meus: damnet me di-

(*a*) *Joh.* 6. *v.* 63. *Joh.* 14. *v.* 6.

diſtrictiſſima extremi judicii ſententia, tu tamen JEſus meus.


In me peccatum, reprobatio, damnatio: in tuo nomine juſtitia, electio, ſalus: ſed in nomen tuum baptizatus ſum, in nomen tuum credo, in tuo nomine moriar, in tuo nomine reſurgam, in tuo nomine coram judicio comparebo. Omnia in hoc nomine nobis parata, & inſtar theſauri concluſa: tantùm de bonis illis decedit, quantum diffidentia meâ detraho; quod à me ut abeſſe jubeas, per illud ipſum nomen precor, ô bone JESU, ne meâ culpâ & incredulitate damner, quem pretioſo tuo merito & ſalvifico nomine tuo ſervatum cupis.

V.

EXERCITIUM FIDEI EX AMORE CHRISTI IN AGONE MORTIS.

MIHI JESU GRATIA QVÆSTUS.

VIde, Domine JESU, quàm injurius ſim





Musa in laudes mea mens est, coelica sentit
Angelicis junctũ mens mea mista choris.


Mein Hertz muss jahier Gott loben,
Dass es dermahleins dort oben
Und in seinen Ehren-Reich
Mit den Engeln Ihn soll preisen
Nach himlischen Thon und weysen
Ja den Engeln werden gleich

ſim in paſſionem tuam: cor meum angitur, & contriſtatur anima mea valde, quia non adſunt opera mea, neque præſto ſunt quædam merita, cum tamen tua paſſio, mea ſit actio, tua opera ſint mea merita: Injurius ſum in tuam paſſionem, quia cùm illa ſit ſufficientiſſima, ſupplementum operum meorum anxius adhuc quæro. Quod ſi juſtitiam in me invenirem, juſtitia tua nihil mihi prodeſſet, vel certè eam tantoperè non deſiderarem; ſi opera legis requiro, ex lege damnabor. Scio autem, quod jam non amplius ſim ſub lege, ſed ſub gratia. *a* Perditè vixi, peccavi, ſancte Pater, in cœlum, nec ſum dignus vocari filius tuus, *b* non tamen renues me appellare ſervum. Ne quæſo denegetur mihi ſanctiſſimus tuæ paſſionis fructus: non ſterileſcet tuus ſangvis, quin fructum in liberanda anima mea proferat. Semper vixerunt in carne mea peccata, tandem quæſo mecum moriantur. Sem-

(*a*) *Rom.* 6. ꝟ. 14. (*b*) *Luc.* 15. ꝟ. 19.

per huc uſque dominata eſt mihi caro mea, tandem triumphet ſpiritus: Exterior homo putredini & vermibus ſubjiciatur, ut ad gloriam emergat interior. Semper huc uſque obſecutus ſum dæmonis ſuggeſtionibus, tandem quæſo conteratur ſub meis pedibus. *a* Præſto eſt Satanas, & accuſat me, ſed in me non habet quicquam; terret me mortis ſpecies, ſed mors finis erit meorum peccatorum, & initium ſanctæ vitæ: Jam demum perfectè tibi placere potero, DEUS meus: jam demum in bonitate & virtute confirmabor. Terret me peccatis meis, ſed accuſet eum, qui ſuſcepit infirmitates meas, quem propter peccata mea percuſſit Dominus: *b* debitum meum magnum valdè, neque perſolvere quicquam de eo potero; ſed in ſponſoris divitiis & benignitate confido: liberet me, qui ſponſionem fecit pro me: perſolvat pro me, qui

(*a*) *Rom.* 16, 20. (*b*) *Eſ.* 53, 4.





TE, JESU, teneo, tene cor sed firmius â te:
ne rapiat mundus. TU trahe, CHRISTE, tene

Weil ich JESUM nun umbfasse, so will ich Ihn nimmer lassen
hier aus meines Herzens Saal.
Sieh nun JESU kraft zu lieben nichts wieder dich zu üben
hierin disem Jammerthal.

qui debitum meum recepit in ſe, Peccavi, Domine, & peccata mea multa & magna nimis; nolim tamen atrociſſimum illud peccatum committere, ut mendacii te arguam, qui verbis & operibus & juramento teſtaris, ſatisfactum eſſe pro iniquitatibus meis; peccata mea non metuo, quia tu juſtitia mea; ignorantiam meam non metuo, quia tu ſapientia mea; *a* mortem non metuo, quia tu vita mea; *b* errores non metuo, quia tu veritas mea; corruptionem non metuo, quia tu reſurrectio mea; dolores mortis non timeo, quia tu gaudium meum; Judicii ſeveritatem non timeo, quia tu juſtitia mea. Inſtilletur exareſcenti animæ meæ ros tuæ gratiæ & conſolationis vivificæ. Exareſcit ſpiritus meus, ſed brevi in te exultabit; languet & flaccida eſt caro mea, ſed propediem germinabit; Corruptionem ſubire cogor, ſed ex corruptione libera-

(*a*) 1.*Cor.* 1,30. (*b*) *Joh.* 14, 6.

rabis me, quia ex omnibus malis liberaſti. Creaſti me, quomodo figmentum manuum tuarum diſſolvi poterit?


Redemiſti me ab omnibus hoſtibus, quomodo unica mors prædominari poterit? Corpus & ſanguinem & omnia tua, imo, te ipſum impendiſti pro ſalute mea, quomodo mors detinebit ea, quæ tam pretioſo λύτρῳ ſunt redemta? Juſtitia es, Domine JESU, non prævalebunt tibi peccata mea: Vita es & reſurrectio, non prævalebit tibi mors mea: DEUS es, non prævalebit tibi Satanas. Dediſti mihi arrham Spiritus tui, *a* iſthac glorior, iſthac triumpho, & firmiſſimè credo nullatenus dubitans, quod ad nuptias Agni *b* introire mihi concedetur: Tu veſtis mea nuptialis, Sponſe cariſſime, quem in Baptiſmate indui: *c* tu operies meam nuditatem, neque huic pretioſæ & pulcherrimæ veſti ſupplemen-

(*a*) 2.*Cor*. 1. *v*. 22. (*b*) *Apoc*. 19. *v*. 7. (*c*) *Gal*. 3. *v*. 27.



Non moritur justus sed fert nova semina vitae
Flos nisi marcescat semina nulla dabit.


Ist mein Freünd gleich bald gestorbẽ,
so ist Er doch nicht verdorben
sondern lebt in stiller Rüh.
Weil Er JESUM hier geliebet,
darf Ihn gar nicht mehr betrübt
Gott selbst spricht Ihn freündlich zu.





Ad dextram lætus quâ stat Te rogo JESU
En facies: nescis deseruisse Tuos.

Ach HERR JESU laß mich stehen
Zu der Rechten wann wird gehen
die Posaune zum Gericht.
Ich sich auff dich mein Vertrauen
drumb will ich dich frewdig schauen
und fürm Urtheil fürchten nicht.



mentum justitiæ meæ assuam, quid hominis justitiæ, nisi pannus menstruatæ, *a* quomodo ergo abominabilem istum pannum pretiosissimæ justitiæ vesti assuere auderem? In hac veste apparebo coram facie tua in Judicio tuo, quando judicabis orbem terrarum in justitia & æquitate. *b* In hac veste apparebo coram facie tua in cœlesti regno: hæc vestis tegit meam confusionem & opprobrium meum, ne in æternum recordetur ejus quisquam amplius. Ibi apparebo gloriosus & sanctus in facie tua, & hæc caro mea, hoc corpus meum beatissimâ induetur gloriâ: gloria autem perrenni & æternis sæculis nunquam intermoritura. *c* Veni, Domine JESU, & qui te amat, dicat: Veni!

(*a*) *Esa.* 64. *v.* 6. (*b*) *Actor.* 17. *v.* 31. (*c*) *Apoc.* 22. *v.* 20.

VI.

CONSOLATIO POENITENTIS EX PASSIONE CHRISTI, EX ANSHELMO POTISSIMUM.

CRUX CHRISTI NOSTRA CORONA EST.


OMnis *a* piorum gloria est in Dominicæ passionis ignominia. Omnis piorum requies est in vulneribus Salvatoris nostri. Vita nostra in ipsius morte, gloria nostra in ipsius exaltatione. Quam magna est misericordia tua, cœlestis pater, omnipotens DEUS, potui per me te offendere, sed non potui per me te mihi placare, tu igitur in Christo me reconcilias tibi ipsi. *b* Vide ergo, sancte Deus, carnis sacramentum & carnis meæ remitte reatum. Respice, quod bonus perpessus est filius, & oblivisscere, quod malus operatus est servus. Caro mea te lacessiv ad iram, caro Christi te inflectat, pre-
cor

(*a*) *Bernh. serm. 4. in ass. Mar.*
(*b*) *Ansh. lib. de Redemt. gen. hum.*



Respice mens sursũ, sunt hic modo gaudia fu
In coelis capies gaudia vera, mera.

Ach wem wolte nicht verlangen das bereidet zu empfangen,
Welchen JESUS Lieb und Lust
Es hat kein aug je gesehen was wir dihnē dor geschehen
Es ist uns hier unbewust.



cor, ad misericordiam. Magnum est, quod mea meretur iniquitas, sed longè majus, quod Redemptionis meæ promerita est pietas, magna est mea injustitia, sed multo major Redemptoris mei justitia. Quanto enim DEUS superior homine, tanto mea malitia est inferior ipsius bonitate; ut qualitate, ita etiam quantitate. Totum quod sum, tuum est conditione fac ut sit etiam totum tuum dilectione. Qui me facis petere, *a* fac & accipere; das mihi qærere, da etiam invenire; doces pulsare, aperi ergo mihi pulsanti. A te habeo desiderare, à te habeam impetrare: â te habeo velle, à te habeam perficere. *b* Sancte DEUS, juste judex, si peccata mea celantur, *c* sunt insanabilia; si videntur, sunt detestabilia; urunt me dolore, sed magis terrent timore. Ne contineas, precor, tàm veram misericordiam, ubi tam veram agnoscis mise-

(*a*) *Matth.7.6.7.* (*b*) *Philip.2.6.13.* (*c*) *Psal.32.6.3.*

ſeriam. Magnum hic peccatum invenis, major adhuc ſit & uberior tua gratia. *Sancte Pater*, ne quæſo effundas ſuper me iram tuam, cum propter peccata mea Filium tuum percuſſeris.

Sancte JEſu, libera me ab ira divina, qui in te ſuſtuliſti eam propter me in cruce. *Sancte Spiritus*, protege me tuâ conſolatione contra iram Dei, qui in Evangelio miſericordiam pœnitentibus & contritis annunciaſti.

Sancte Deus, juſte Judex, non invenio *a* locum, in quem confugere poſſim à facie iræ tuæ. Si in cœlum aſcendero, illic præſens es: Si in infernum deſcendero, ecce tu ades: ſi aſſumam alas auroræ, & habitem in noviſſimo maris, etiam illic manus tua deducet me, & apprehendet me dextra tua: ad Chriſtum igitur fugiam, & in illius vulneribus me abſcondam. O miſericors Deus, reſpice corpus filii tui vulneribus omni ex parte ſauciatum, & vul-

(*a*) *Pſ.* 139. 6. 7. 8. 9. 10. *& ſeqq.*

vulnera peccatorum meorum ne respexeris: sanguis filii tui lavet me ab omnibus peccati maculis: *a* audi preces ipsius ardentissimas, pro salute electorum tibi oblatas. *b*

c Sancte DEus, juste Judex, terret me vita mea, namque diligenter discussa tota, aut peccatum, aut sterilitas apparet: & si quid fructus in ea videtur, sic est aut simulatum aut imperfectum, aut aliquo modo corruptum, ut possit, aut non placere, aut etiam displicere oculis tuis. Certè tota mea vita aut in peccato est & damnabilis: aut infructuosa & contemtibilis: sed quid separo infructuosam à damnabili? Utique si est infructuosa, est damnabilis: omnis enim arbor, quæ non facit fructum bonum, in ignem projicietur: *d* non solùm illa arbor igni traditur, quæ malos, sed etiam quæ nullos profert fructus. Terrent me hœ-

(*a*) 1. *Joh.* 1. 6. 7. (*b*) *Joh.* 17. 6. 11.
(*c*) *Anshelm. in medit.* (*d*) *Matth.* 3. 10.

hœdi ad ſiniſtram judicis conſtituti, *a* non quia aliquid mali fecerunt, ſed quia nihil boni egerunt: eſurientibus non dederunt cibum, nec ſitientibus potum. O ergo lignum aridum & inutile, & æternis ignibus dignum! Quid reſpondebis in illa die, cum exigetur à te usque ad ictum oculi omne tempus vivendi tibi impenſum, qualiter à te fuerit expenſum? non peribit capillus de capite, neque momentum de tempore. O anguſtiæ! *hinc* erunt peccata accuſantia, *inde* terrens juſtitia; *ſubtus* patens horrendum chaos inferni, *deſuper* iratus judex; *intus* conſcientia urens, *foris* mundus ardens. Vix juſtus ſalvabitur; *b* peccator ſic deprehenſus in quem partem ſe convertet? *c* latere erit impoſſibile, apparere intolerabile.

Unde ergò animæ meæ ſalus, unde conſilium? Quis eſt, qui dicitur magni

(*a*) *Matth*. 25,32. (*b*) 2. *Pet*. 4.18. (*c*) *Bernh.de inter.damn*. 38.

gni consilii *a* Angelus? Ipse est JESUS, idem est judex, inter cujus manus tremo. Respira, ô anima, ne desperes! Spera in eo, quem times, confuge ad eum, à quo fugisti. JEsu Christe, propter hoc nomen tuum fac mihi secundum nomen tuum, respice me miserum invocantem nomen tuum. Si me admiseris intra latissimum misericordiæ tuæ sinum, non erit propter me angustior. Verum est, ô Domine, conscientia mea meruit damnationem, & pœnitentia mea non sufficit ad satisfactionem, sed certum est, quod misericordia tua superat omnem offensionem. In te, Domine, confido, non confundar in æternum! (*a*) *Es.* 9, 6.

VII.

DE FRUCTU PASSIONIS DOMINICÆ.

MEA SPES EST PASSIO CHRISTI.

QVoties *a* de passione Domini cogito, toties de amore DEI & peccatorum meorum veniâ, magna omni-

(*a*) *Bernhard. serm. de pass.*

mnino præſumo. Inclinat caput ad oſculandum, brachia diſtendit ad amplexandum, manus aperit ad elargiendum, latus aperit ad cor amore ardens aſpiciendum: exaltatur de terra, *a* ut omnes trahat ad ſeipſum: vulnera ejus ſunt dolore livida, amore fulgida: *b* ideo per aperturam vulneris intrare debemus ad ſecretum cordis; Prorſus *c* copioſa apud eum redemptio, quia non gutta aliqua, ſeu unda ſanguinis largiter per quinque partes corporis emanavit: *d* ſicut uva in torcular conjecta onere ſuperimpoſito frangitur, ac undique liquorem effundit; ita caro Chriſti pondere iræ divinæ & gravitate peccatorum preſſa, liquorem ſanguinis undiquaque diffundit. Cùm Abraham filium ſuum in ſacrificium offerre vellet, dicebat Dominus: nunc

verè

(*a*) *Joh.* 12. *v.* 32. (*b*) *Kempiſ. de quatuor mod. vid. Chriſtum. Granat. præf. lib. de vita Chriſt.* (*c*) *Pſ.* 130. *v.* 7. (*d*) *Bernhard. Sermon.* 22. *in Cant.*

verè cognovi, quod me diligas: *a* tu quoque immensam æterni Patris dilectionem agnosce, *b* quod filium unigenitum pro nobis in mortem tradere voluerit; dilecti sumus, *c* cum adhuc inimici essemus, an nostri obliviscetur, cum per mortem filii jam reconciliati simus? an in oblivione coram ipso esse poterit tam pretiosus filii sui sanguis, cum etiam *d* lacrymas & gressꝰ piorum hominum numeret? an Christus eorum in suà vita oblivisci poterit, pro quibus mortem sustinere voluit; an oblivisci eorum poterit in gloria, pro quibꝰ tanta sustinuit tormenta? *e* Considera, fidelis anima, multiplicem passionis Domini fructum. Christus pro nobis sanguineum sudorem fudit, ne frigidissimus in mortis agone sudor nos opprimeret: luctari voluit cum morte, ne in agone mortis deficeremus: anxietatem gravis-

(*a*) *Gen.* 22. *v.* 12. (*b*) *Joh.* 3. *v.* 16. (*c*) *Rom.* 5. *v.* 6. (*d*) *Ps.* 50. *v.* 9. (*e*) *D. Luth. in hom. de pass.*

vissimam & tristitiam usque ad mortem sustinere voluit, ut æternæ lætitiæ in cœlis participes redderemur. Osculo, quod amicitiæ & benevolentiæ signum, prodi voluit, ut peccatum, quo Satan primos parentes sub specie singularis benevolentiæ prodidit, extingueretur: à Judæis capi & ligari voluit, ut nos peccati vinculis ligatos, & in æternam damnationem conjiciendos solveret: In horto fieri voluit passionis initium, ut expiaret peccatum, quod in horto Paradisi habuerat principium: ab Angelo confortari voluit, ut Angelorum nos redderet in cælis socios: à propriis deseritur discipulis, ut nos turpi defectione à DEo avulsos sibi agglutinaret: coram concilio à falsis testibus est accusatus, ne nos à Satana per legem Dei accusaremur: condemnatus est in terris, ut nos absolveremur in cœlis: pro peccatis tacuit, qui peccata non fecit, ne propter peccata nostra in judicium Dei adducti obmutescere cogeremur:

ala-

alapis cædi voluit, ut nos à conscientiæ & Satanæ stimulis absolveremur: illudi sibi passus est, ut nos insultori Satanæ illudere possemus: facies ipsius tegitur, ut à nobis removeret velum peccati, quod in nobis aspectum Dei impedit, & damnabilem ignorantiam inducit: vestibus exui voluit, ut innocentiæ vestis per peccatum amissa nobis restitueretur: spinis compunctus est, ut cordis nostri compunctiones sanaret: crucis pondus portavit, ut onus æternæ pœnæ à nobis submoveret: à DEo se derelictum clamavit, ut æternam Dei cohabitationem nobis pararet: sitivit in cruce, ut rorem divinæ gratiæ nobis promereretur, ac ne æternâ siti perire cogeremur: æstu iræ divinæ torreri voluit, ut infernalem ignem à nobis tolleret: judicatus est, ut à Dei judicio nos liberaret: reus peractus est, ut nos reos absolveret: iniquis manibus cæsus est, ut Diaboli verbera à nobis tolleret: præ dolore clamavit,

ut ab æternis ululatibus nos servaret; lachrymas profudit ut nostras abstergeret lachrymas: mortuus est, ut nos viveremus, dolores inferni persensit, ut nunquam illos sentiremus, humiliatus est, ut nostri tumori medicina afferretur, coronâ spineâ coronatus est, ut cœlestem coronam nobis promereretur, ab omnibus passus est, ut omnibus salutem præstaret, caligaverunt ejus oculi in morte, ut nos in luce cœlestis viveremus gloriæ, audivit ignominias & contumelias, ut in cœlis audiremus jubilationes Angelicas. Ne igitur desperes, fidelis anima, infinitum bonum per peccata tua est offensum, sed infinitum persolutum est pretium: judicanda es propter peccata tua, sed DEI Filius pro totius mundi peccatis, quæ in se receperat, jam judicatus est: punienda sunt peccata tua, sed DEus ea jam punivit in Filio suo: magna sunt peccatorum tuorum vulnera, sed pretiosum est sanguinis Christi balsamum: male-

di-





En sequar hunc patiens, Satanā quicit atrocem:
Sit inimica mihi sors, Deus æquus erit.

Ich will gantz gedültig tragē Mein Herr Jesu deine Plagē
die der Liebe Zeichen seijn:
Dañ dadurch werd ich gelangen Zu den Liechte da ist prangen
die Creütz träger in gemein.

dictum te pronunciat Moses, *a* quia non servasti omnia, quæ scripta sunt in libro legis, sed Christus pro te factus est maledictum: *b* scriptum est contra te in cœlesti curia chirographum, sed illud Christi sanguine est deletum. *c* Tua ergo passio, ò pie Christe, ultimum meum refugium. *d*

(*a*) *Deut.* 27. *v. ult.* (*b*) *Gal.* 3. *v.* 13. (*c*) *Col.* 2. *v.* 14. (*d*) *Bernh. serm.* 22. *in Cant.*

VIII.

DE CERTITUDINE SALUTIS NOSTRÆ.

BONA SPES CONFUNDERE NESCIT.

QVid turbaris, anima mea, quid de misericordia DEi adhuc dubitas? Memento creatoris tui; qui creavit te sine te; qui formavit corpus tuum in occulto, *a* quando formatum corporis tui habitaculum in inferioribus terræ? Qui igitur curam tui suscepit, cùm nondum esses, nonne & is curam

(*a*) *Ps.* 139. *v.* 15.

tui ageret, poſtquam ad imaginem ſuam condidit? Creatura DEI ſum, ad creatorem me converto; Quod ſi natura mea infecta eſt à Diabolo, ſi ſauciata & vulnerata eſt à latronibus, *a* ſcilicet peccatis, vivit tamen adhuc creator meus; qui me potuit facere, ille poterit etiam reficere: qui me creavit ſine ullo malo, poterit à me tollere omne malum, quod Diaboli ſuggeſtione, Adami prævaricatione propria etiam meâ actione ad me ingreſſum pervaſit omnem ſubſtantiam meam, poterit igitur creator meus me reficere, modo etiam velit. Utique vult, quis enim opus ſuum odio habet? nonne coram eo ſumus, ſicut lutum in manibus figuli? *b* quod ſi me odio haberet, ex nihilo utique non creaſſet? ipſe Salvator eſt omnium, *c* maximè vero credentium. Mirabiliter me creavit, mirabilius tamen redemit. Nunquam illuxit cla-

rius,

(*a*) *Luc.* 10. *b.* 30. (*b*) *Jer.* 18. *b.* 6. (*c*) 1. *Tim.* 4, 10.

rius, quo nos dilexit Dominus, quam in ipsius passione & vulneribus. *a* Verè diligitur, propter quem unigenitus ex sinu patris mittitur. Quod si salutem meam non desiderares, Domine Jesu, quare de cœlo descenderes? sed descendisti in terram, in mortem, in crucem. *b* Ut servum redimeret DEus, filio non pepercit. *c* Verè igitur magno amore genus humanum complectitur, qui propter generis humani redemtionem Filium suum tradidit affligendum, occidendum, crucifigendum. Carum omnino & verè mugnum precium, quo redempti sumus: *d* cara igitur & magna redemptoris misericordia. Videri alicui posset, quod DEus æquè magno amore electos suos filios diligat, quo filium unigenitum: cui enim aliquid impendimus, illud carius est eo, quod impendimus: Ut adoptivos haberet

(*a*) *Bernh. Clem. Alex. l.* 1. *Pædag.* c. 3. (*b*) *Phil.* 2, 8. (*c*) *Rom.* 8, 32. (*d*) *Pet.* 1, 18.

ſilios, naturali & coeſſentiali Filio non pepercit. Quid ergo magnum eſt, quod in domo cœleſti manſiones nobis paraverit, *a* cum Filium ſuum dederit, in quo eſt tota plenitudo divinitatis. Certè ubi divinitatis plenitudo, *b* ibi quoque plenitudo æternæ vitæ & gloriæ: Quod ſi in Chriſto dedit plenitudinem vitæ æternæ, quomodo parvulam ejus particulam denegabit: Verè mago amore nos adoptivos filios cœleſtis pater amplectitur, propter quos unigenitum Filium tradidit: Verè magno amore Filius nos complectitur, qui propter nos ſeipſum tradidit: ut divites nos faceret, extremam toleravit pauperiem, non enim habuit, ubi caput reclinaret ſuum; *c* ut nos DEI filios faceret, ipſe homo naſcitur, neque peracto ſemel redemptionis opere in poſterum nos negligit, ſed adhuc in dextra majeſtatis divinæ conſtitutus interpellat pro nobis. *d* Quid ad ſalutem

(*a*) *Joh.* 14,3. (*b*) *Col.* 2,9. (*c*) *Matth.* 8, 20. (*d*) *Rom.* 8, 34.

tem necessarium mihi non impetrabit, cum ad salutem mihi promerendam seipsum impertiverit? Quid Pater denegabit Filio, qui obediens ei factus usque ad mortem, mortem autem crucis? *a* Quid Pater denegabit Filio, qui λύτρον à Filio præstitum jam ante acceptavit? Accusent me peccata mea, in hoc intercessore confido; major est, qui excusat, quam qui accusat. Terreat me imbecillitas mea, in ipsius virtute glorior. Accuset me Satanas, modo excuset me hic Mediator. Accuset me cœlum & terra, & iniquitatis meæ reum me peragant, sufficit mihi, quod pro me cœli & terræ creator, & ipsa justitia deprecatur. *b* Sufficit mihi ad meritum; scire, quod non sufficiat meritum; sufficit mihi, eum habere propitium, cui soli peccavi, quicquid ille non imputare decreverit, sic erit, quasi non fuerit. Neque me movet, quod peccata mea

(*a*) *Phil.* 2, 8. (*b*) *Bernh. serm.* 68. *super cant. Idem de inter. domo c.* 31.

& gravia & varia, & ſæpius iterata: niſi enim peccatis onerarer, juſtitiam illius non deſiderarem: niſi morbum haberem, medici opem non implorarem. *a* Ipſe Medicus eſt, *b* ipſe Salvator, *c* ipſe juſtitia eſt, *d* ſeipſum negare non poteſt: ego ægrotus, ego damnatus, ego peccator, meipſum negare non poſſum. Miſerere mei, ô Medice, ô Salvator, ô Juſtitia, Amen.

(*a*) *Aug.* 10. *Conf. c.* 28. (*b*) *Matth.* 9, 12. (*c*) *Matth.* 1, 21. (*d*) 1 *Cor.* 1, 30.

IX.

DE AMANDO SOLO DEO.

DOMINO JUNGARIS AMORE.

ERige *a* te, fidelis anima, & ama illud ſummum bonum, in quo omnia bona, ſine quo nullum aliud verum bonum. Nulla creatura voluntatem noſtram exſatiare poteſt, quia nulla creatura perfectum bonum obtinet, ſed

(*a*) *Auch. in perſol. c.* 25.



Fac JESU, ut portem crucis hic bene pondera: tempus
namque erit, auxilio quando virebo tuo.

Laß Herr Christ doch endlich dich
durch gedult verſünen;
Gleich den Palmen ſo werd ich
unterm Creutz auch grünen.





Spinifer erat ager est cor, Tu bona semi-
na verbi
Spargis, ne pereant, tu quoq; Christe, dabis

Laß Herr Christ die dornen nicht
deine Frücht erstiken,
Sondern laß sie durch dein Licht
in mir stets erquicken.



ſed tantùm participatum. Rivulus quidam boni à divinitate ad eam traducitur, ſed fons in DEO ſemper manet: quare ergo fonte relicto rivulos conſectari velimus? omne bonum in creaturis eſt imago quædam perfecti illius boni, quod in DEO, imo, quod ipſe DEus eſt: quare ergo arreptâ imagine ipſam rem deſerere velimus? Columba ex arca Nohæ emiſſa non poterat in aquarum volubilitate invenire, ubi requieſceret pes ejus: *a* ita anima noſtra in omnium rerum ſublunarium numero non poteſt quicquam invenire, quod deſiderium ejus plenè impleat, propter ſummam earum inconſtantiam & fragilitatem. Annon ſibi ipſi injuriam facit, qui infra dignitatem ſuam aliquid amat? Jam vero anima noſtra omnibus creaturis nobilior, quæ DEI paſſione & morte redempta: quare ergo creaturas amare velit? Annon id majeſtati, in quam evexit illam Deus, contrarium?

(*a*) *Gen.* 8, 8.

rium? Quicquid amamus, id vel propter potentiam, vel propter ſapientiam, vel propter pulchritudinem amamus: quid vero DEO potentius, quid DEO ſapientius, quid DEO pulchrius? omnis Regum mundanorum potentia ab eo & ſub eo: omnis hominum ſapientia ad divinam collata ſtultitia eſt: omnis creaturarum pulchritudo ad divinam collata, deformitas eſt. Si potentiſſimus Rex quispiam cum tenuis ſortis ac conditionis virgine per internuncios de conjugio ageret, an non ſtolide ageret illa virgo, ſi prætermiſſo Rege potentiſſimo, egenis vellet adhærere internunciis & Regis miniſtris? Sic DEUS per omnem illam creaturarum pulchritudinem nos ad ſe vocare, ad ſui amorem excitare voluit, quare ergo anima noſtra, quam ſponſus Chriſtus expetit, creaturis velut internunciis hujus ſpiritualis conjugii, adhæret? Ipſæ creaturæ clamant, quare nobis adhæreſcitis? quare in no-

nobis finem desiderii vestri ponitis? non possumus appetitum vestrum exsatiare, ad utriusque nostrûm creatorem accedite: à creaturis nullus amor reciprocus sperandus, à creaturis etiam nullus amor erga nos cœpit: sed DEUS, qui est ipsa charitas, *a* amantem se non potest non amare, quinimo amore suo omnia desideria nostra & omnem amorem nostrum prævenit, quantum ergo diligendus, qui prior tantùm nos dilexit? Dilexit nos, cùm nondum essemus: nam dilectionis divinæ est, quod in hunc mundum nati sumus. Dilexit, cum inimici essemus: *b* nam misericordiæ & dilectionis divinæ est, quod Filium redemtorem miserit: dilexit, cùm in peccata prolapsi eramus: nam dilectionis divinæ est, quod non continuo, si delinquimus, morti nos tradit, sed conversionem nostram expectat. Dilectionis divinæ est, quod præter

(*a*) 1. *Johan*.4.16. (*b*) *Roman*.5.6.8.

noſtrum meritum, imo contra meritum ad cœleſtia nos traducit palatia. Sine amore Dei nunquam ad ſalutarem ejus cognitionem pervenies: ſine amore Dei omnis ſcientia inutilis, imo noxia. Quare caritas excedit omnium myſteriorum notitiam? *a* quia hæc etiam in Diabolis, illa non niſi in piis. Quare Diabolus infeliciſſimus? quia ſummum bonum amare nequit. Quare DEUS contrà feliciſſimus & beatiſſimus? quia omnia amat, delectatur in omnibus operibus ſuis. *b* Quare amor Dei in hac vita perfectus non eſt? quia tantum diligimus, quantum cognoſcimus. Jam vero in hac vita ex parte ſolùm cognoſcimus & in ænigmate. *c* In æterna vita perfectè beati erimus, quia perfectè amabimus DEUM; perfectè amabimus, quia perfectè cognoſcemus. Nemo poterit ſpem habere perfecti amoris divini in futuro ſeculo,

(*a*) 1.*Cor.* 13, 2. (*b*) *Sap.* 11, 25. (*c*) 1.*Cor.* 13, 12.

lo, qui in hoc non incipit DEUM amare: regnum DEI in corde hominis in hac vita incipere debet, aliàs non consummabitur in futura. Sine amore DEI nullum est æternæ vitæ desiderium, quomodo ergo illius summi boni particeps erit, qui non amat? qui non quærit? qui non desiderat? *a* Qualis amor tuus, talis ipse es, quia amor tuus te in se transmutat: amor est summum vinculum, quia amans & res amata fiunt unum. Quid DEum justissimum & peccatores perditos, quid hæc à se invicem in infinitum distantia conjunxit? amor infinitus. Ne tamen justitia Dei labefactaretur, intercessit pretium Christi infinitum. Quid adhuc DEUM Creatorem, & animam fidelem creatam res infinitè distantes conjungit? amor. In vita æterna summo gradu jungemur Deo, quare? quia summo gradu amabimus. Amor unit & transmutat: si carnalia diliges, carnalis es; si mundum amas, mun-

(*a*) *Renovar. in Ps.* 51.

mundanus efficiêris. Jam verò caro & ſanguis non poſſidebit regnum Dei. *a* Si DEUM & divina diligis, efficiêris divinus. *b* Amor DEI eſt currus Eliæ aſcendentis in cœlum: Amor DEI jucunditas eſt mentis, paradiſus animæ, excludit mundum, vincit Diabolum, claudit infernum, aperit cœlum. Amor Dei eſt illud ſigillum, *c* quo Deus electos & credentes obſignat: nullum DEUS in judicio extremo agnoſcet pro ſuo, qui non hoc ſigillo obſignatus. Etenim ipſa fides, unica juſtitiæ & Salutis noſtræ cauſa, vera non eſt, niſi per charitatem ſe exerat: *d* non eſt vera fides, niſi ſit firma fiducia; non eſt fiducia ſine amore DEI: non agnoſcitur beneficium, pro quo non aguntur gratiæ; non agimus ei gratias, quem non amamus. Si ergo vera tua fides eſt, agnoſcet Chriſti redemtoris beneficium: agnoſcet & gratias aget; gratias aget & amabit.

Amor

(*a*) 1. *Cor.* 15, 50. (*b*) *Kemp. in hort. ro.* 1. *cap.* 16. (*c*) *Apoc.* 7, 3. (*d*) *Gal.* 5, 6.

Amor DEI est vita & requies animæ nostræ, recedente anima per mortem interit vita corporis : recedente DEO ab anima per peccata, interit vita animæ. Vicissim DEUS habitat per fidem in cordibus nostris, *a* habitat per amorem in anima nostra, quia *b* caritas DEI effunditur in cordibus electorum per Spiritum sanctum: nulla animæ tranquillitas absque amore DEI, mundus & Satanas maxima illius perturbatio. DEUS autem summa animæ requies: nulla est pax conscientiæ, nisi in iis, qui filiali fiduciâ erga DEUM affecti. Moriatur ergo in nobis amor nostri, amor mundi, amor creaturarum, ut vivat in nobis amor DEI, qui incipiat in hoc seculo, ut perficiatur in futuro.

(*a*) *Eph.* 3, 17. (*b*) *Rom.* 5, 5.

X.

DE NOSTRA CUM DEO RECONCILIATIONE.


SOLVIT MEA DEBITA CHRISTꝰ

VEre languores noſtros Chriſtus tulit, & dolores noſtros ipſe portavit. *a* O Domine JEſu, quod in nobis meretur æternas pœnas, illud in te transtuliſti onus, quod ad infernum usque nos depreſſurum erat, in te recepiſti: Vulneratus es *b* propter iniquitates noſtras, attritus propter ſcelera noſtra: Tuo livore ſanati ſumus, poſuit Dominus in te iniquitates omnium noſtrûm. Mirabilis omnino commutatio: transfers in te peccata noſtra, & donas tuam juſtitiam; mortem nobis debitam tibi irrogas, & donas nobis vitam. Non igitur jam poſſum ullo modo dubitare de tua gratia, aut deſperare propter mea peccata. Quod in nobis peſſimum, in te transtuliſti: quod optimum, in nobis, & tuum opus, videlicet corpus & animam, quomodo

(*a*) *Eſa*, 53, 5. (*b*) *B*. 6,



Mundi depereat laudem hic, tum divi-
tiasq;:
VULNERA me recreant Vulnera amo-
ris amo.
Was mein hertz vnd sinn erquickt
Was mich fest verbunden,
Ist hier ahn ein Creutz verstrickt,
O der liebes-wunden.



despicies? Non *a* derelinques animam meam in inferno, neque dabis, ut sanctus tuus videat corruptionem. Vere enim sanctus est, cujus peccata abolita atque ablata, beatus, cui remissæ sunt iniquitates, beatus, *b* cui Dominus non imputat peccata. Quomodo peccata nostra imputare nobis poterit Dominus, cum imputaverit ea alteri? propter scelus populi sui filium percussit dilectissimum, ipse ergo in scientia *c* sui; justificabit multos, & iniquitates eorum ipse portabit. Quomodo justificabit suos? audi anima & attende: justificabit eos sui scientiâ, id est, salutari divinæ misericordiæ & gratiæ in Christo agnitione, ac firma per fidem apprehensione. Hæc *d* est vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, &, quem misisti, Filium tuum Jesum Christum: ac proinde, si confiteris *e* ore tuo Dominum Jesum, & in corde tuo credideris,

 quod

(*a*) *Ps.* 16, 10. (*b*) *Ps.* 32, 1. 2. (*c*) *Es.* 53, 12. (*d*) *Joh.* 17, 3. (*e*) *Rom.* 10, 10.

quod Deus illum suscitavit à mortuis, salvus eris. Apprehendit autem fides Christi satisfactionem, iniquitates enim suorum ipse portavit, peccata multorum tulit, & pro transgressoribus rogavit. Verè enim paucos habuisset justos, nisi peccatores misericorditer recepisset. Paucos, ô JESU, haberes justos, nisi peccata remitteres injustis. Quomodo igitur severo judicio peccata pœnitentium judicabit Christus, quæ in se recepit? quomodo damnabit reum peccatorum, cùm *a* ipse factus sit peccatum? Judicabit illos, quos *b* amicos suos vocat? Judicabit illos, pro quibus rogavit? Judicabit, illospro quibus mortuus? Erige te, anima mea, & peccatorum tuorum obliviscere, quia oblitus *c* eorum Dominus. Quem times peccatorum vindicem, nisi Dominum, qui pro peccatis satisfecit ipse? Quod si aliquis alius pro peccatis meis λύτρον per-

(*a*) 2.*Cor*.5,21. (*b*) *Joh*.15,14.
(*c*) *Ezech*.81, 22.

perſolviſſet, utique adhuc dubitare poſſem, an etiam ſatisfactionem illam acceptare velit juſtus Judex? Quod ſi homo aut Angelus aliquis pro me ſatisfeciſſet, utique dubium eſſet, an ſufficiens ſit redemtionis pretium? jam vero nullus relinquitur dubitationi locus. Quomodo non accipiet pretium, quod perſolvit ipſe? quomodo non ſit ſufficiens, quod ab ipſo DEO? Quid adhuc conturbaris anima mea? Univerſæ *a* viæ Domini miſericordia & veritas: Juſtus etiam Dominus & juſtum ipſius judicium. *b* Quid conturbaris anima? Erigat te divina miſericordia, erigat etiam divina juſtitia, quod ſi enim juſtus DEUS eſt, utique pro delicto unico duplex non exiget pretium. Propter peccata noſtra percuſſit Filium, quomodo propter eadem nos ſervos percutiet? quomodo peccata in Filio punita, in nobis quoque puniet?

(*a*) *Pſ.* 25. *v.* 10. (*b*) *Pſal.* 119. *v.* 137.

Veritas *a* etiam Domini non labefactabitur in æternum: *nolo mortem peccatoris, ſed ut convertatur & vivat*, clamat Deus noſter: *b Venite c ad me, qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos*, exclamat Salvator noſter; num mendacii arguemus Dominum, & peccatorùm noſtrorum pondere miſericordiam ipſius deprimere conabimur? Mendacii arguere Dominum & miſericordiam ipſius negare, majus eſt peccatum, quàm omnia totius mundi paccata, unde etiam plus peccavit Judas deſperando, quam Judæi Chriſtum crucifigendo. *d* Quin potius ubi abundavit delictum, ibi quoque abundavit gratia, *e* quæ peccatorum noſtrorum lanci infinitis modis præponderat; peccata enim hominum ſunt, ſed gratia DEI eſt: peccata temporalia, gratia autem Domini noſtri ab æterno in æternum.

Pro

(*a*) *Pſ.* 117, 2. (*b*) *Ezech.* 33, 11. (*c*) *Matth.* 11, 28. (*d*) *Aug.* (*e*) *Rom.* 5, 10.

Pro peccatis satisfactum, gratia DEI Christi morte reparata, & in æternum stabilita, ad quam confugio devotus & supplex.

XI.

DE SATISFACTIONE PRO PECCATIS NOSTRIS.

MORS CHRISTI VITA PIORUM.

V*Enite ad me, qui laboratis & onerati estis, ego reficiam vos,* verba sunt Salvatoris nostri. *a* Verè, Domine Jesu, oneratus sum nimis, & sub peccati pondere ingemisco, sed ad te, fontem æquæ vivæ, propero. Veni ad me, Domine Jesu, ut possim venire ad te. Venio ad te, Domine, quia prius venisti ad me. Venio ad te, Domine Jesu, & anxiè te desidero, neque enim in me quicquam boni invenio. Quod si in me aliquid boni invenirem, non tam anxiè te desiderarem. Verè, Domine JEsu, laboro

(*a*) *Matth.* 11, 28.

& oneratus ſum : neque cuiquam ſanctorum tuorum vel etiam peccatorum pœnitentium me conferre posſem, niſi fortè latroni in cruce. Miſerere mei, Domine, qui miſertus es latronis in cruce. Perditè vixi, in peccatis vixi, ſed piè mori, ſed in juſtitia mori deſidero. Pieatas autem & juſtitia procul à corde meo, ideoque ad tuam pietatem & juſtitiam confugio. Subveniat mihi, Domine Jeſu, anima tua, quam poſuiſti in ἀντίλυτρον pro multis. *a* Subveniat mihi ſanctiſſimum tuum corpus flagellis, ſputis, colaphis & ſpinis pro me afflictum, & crucis patibulo affixum. Subveniat mihi, ó Jeſu, ſacroſanctus tuus ſanguis è patientis & morientis latere effuſus, *b* qui ab omnibus peccatis nos emundat. *c* Subveniat mihi ſanctiſſima tua divinitas, quæ humanam naturam in paſſione ſuſtinuit, & quâ requieſcente neque ſe exerente peractum eſt adorandum redemtionis meæ

(*a*) *Matth.* 20, 28. (*b*) *Joh.* 19, 34. (*c*) 1. *Joh.* 1, 7.

meæ mysterium: *a* & quæ sanctæ tuæ passioni infinitum robur ac pondus addidit, ita, ut Deus suo *b* sanguine me miserum sibi acquisiverit. Subveniant mihi tua vulnera, in quibus omnis mea medicina. Subveniat sanctissima tua passio. Subveniat tuum meritum, ultimum meum refugium, & adversus peccata remedium. Quod enim passus es, hoc mihi passus es. Quod igitur mereris, itidem mihi & indignitati meæ promereris. Commendat *c* igitur charitatem suam Deus in nobis, & testimonio omnium hominum, imo Angelorum intellectum exuperante, eam comprobat, quod Christus pro nobis mortuus, cùm adhuc essemus peccatores & inimici DEI. Quis non admiretur? Quis non obstupescat? à nemine rogatus, imo ab hominibus odio habitus pro peccatoribus & hostibus suis misericordissimus Dei Filius deprecatur,

(*a*) *Iren. lib.* 2. *c.* 36, *l.* 3. *c.* 21. (*b*) *Act.* 20, 28. (*c*) *Rom.* 5, 8.

neque ſolum deprecatur, ſed etiam divinæ juſtitiæ ſatisfactionem præſtat, nativitate pauperrimâ, vitâ ſanctiſſimâ, paſſione acerbiſſima, morte crudeliſſimâ.

O Domine Jeſu, qui pro me deprecatus, paſſus atque mortuus es, antequam meritum & paſſionem tuam deſiderarem aut precibus ad λύτρον perſolvendum te ſolicitarem, quomodo me projicere à facie tua poteris? quomodo fructum ſanctiſſimæ tuæ paſſionis denegabis, poſtquam ex profundis *a* jam ad te clamo, & fructum meriti tui lachrymis atque gemitibus expoſco. Inimicus eram per naturam, quando pro me mortuus es, factus ſum amicus, frater & filius per gratiam. Exaudiviſti inimicum nondum te deprecantem, quomodo deſpicies amicum tuum cum lachrymis & precibus ad te accedentem? Venientem *b* ad te non ejicies foras, quia ſermo

(*a*) *Pſ.* 130, 1. (*b*) *Joh.* 6, 37.

mo tuus veritas eſt. Locutus es nobis in ſpiritu & veritate, & verba *a* vitæ æternæ à te accepimus. Attende atque erige te, anima mea, antea eramus peccatores per naturam, jam vero juſti per gratiam; antea eramus inimici, jam vero amici atq; propinqui; antea ſubſidium noſtrum in morte Chriſti, jam vero in ipſius etiam vitâ; antea eramus *b* mortui in peccatis noſtris, jam vero vivificati in Chriſto. O nimiam Dei charitatem, quâ dilexit nos! O abundantes divitias divinæ gratiæ, qua nos conſidere fecit id cœleſtibus! O *c* viſcera miſericordiæ Dei noſtri, in quibus nos viſitavit oriens ex alto! Quod ſi Chriſti mors juſtitiam & vitam nobis attulit, quid ipſius vita poterit! Si Salvator pretium patri perſolvit moriens, quid faciet vivus & pro nobis intercedens? Vivit enim & habitat *d* in corde noſtro Chriſtus, modo vivat at-

(*a*) *Joh.* 6,68. (*b*) *Eph.* 2,5. (*c*) *Luc.* 6,78. (*d*) *Eph.* 3,17.

que vigeat in eo sanctissimi ipsius meriti recordatio. Trahe me, Domine Jesu, ut possideam in rei veritate, quod hîc expecto in spei firmitate: sit tecum, quæso, minister tuus, & videat *a* claritatem, quam dedit tibi Pater, inhabitet mansionem, quam *b* parasti illi in domo patris tui. Beati, *c* qui habitant in domo tua, Domine, laudabunt te in seculum seculi.

(*a*) *Joh.* 17, 24. (*b*) *Joh.* 14, 2. (*c*) *Ps.* 84, 5.

XII.

DE NATURA AC PROPRIETATIBUS VERÆ FIDEI.

VIVA EST ET VICTRIX, SI MODO VERA FIDES.

O Dilecta anima, fidei virtutem considera, & Deo fidei datori unico gratias age. Fides unica Salvatori nostro vicissim nos inserit, ut veluti *a* palmites ex vite succum, ita nos ex ipso vitam, justitiam & salutem hauria-

(*a*) *Joh.* 15, 4.

riamus. Excidit Adamus gratiâ Dei, & imaginem divinam amiſit ſuâ incredulitate, ſed viciſſim in gratiam recipimur, & imago Dei in nobis reformari incipit fide. Per fidem *a* Chriſtus noſter efficitur, & in nobis habitat: ubi autem Chriſtus, ibi gratia Dei, ubi gratia Dei, ibi hæreditas vitæ æternæ. Fide *b* Abel majorem hoſtiam obtulit Deo, quam Cain: ita ſpirituales hoſtias offerimus Deo per fidem, *c* fructum ſcilicet labiorum noſtrorum. Fide *d* Henoch translatus eſt: ita fides ex conſortio humano in ſocietatem cœleſtem nos transfert, etiamnum in hac vita. Jam enim Chriſtus in nobis habitat, jam in nobis eſt vita æterna, ſed abſcondita. *e* Fide Noa *f* arcam apparavit: ita fide ingredimur Eccleſiam, in qua animæ ſervantur, reliquis omnibus in vaſto mundi pelago pereuntibus. Fide *g* Abra-

(*a*) *Eph.* 3,17. (*b*) *Heb.* 11,4. (*c*) *Heb.* 13,15. (*d*) *Heb.* 11,5. (*e*) *Col.* 3,3. (*f*) *Heb.* 11,7. (*g*) *Heb.* 11,8.

Abraham terram idololatricam relinquebat: ita fide eximus ex mundo, parentes, fratres & cognatos relinquentes, & Christi vocantis verbo adhærentes. Fide peregrinatus est, & expectavit promissam terram: ita & nos fide expectamus cœlestem *a* Hierosolymam, quam Deus in cœlis præparavit: advenæ *b* sumus & peregrini in hoc mundo, ad cœlestem patriam fide aspirantes. Fide *c* concepit Sara in senectute filium Isaac: Ita & nos spiritualiter emortui accipimus virtutem Christum spiritualiter concipiendi: Ut enim Christus in sanctis Mariæ virginis visceribus semel conceptus: ita quotidie in fideli anima, quæ se puram conservat à mundanis congressibus, spiritualiter nascitur. Fide *d* obtulit Abraham Isaac: ita & nos propriam voluntatem, dilectum animæ filium, fide spiritualiter mactamus

(*a*) *Apoc.* 21, 2. (*b*) *Ps.* 39, 14. (*c*) *Hebr.* 11, 11. (*d*) *Hebr.* 11, 17.

mus & ſacrificamus: qui enim Chriſtum *a* ſequi deſiderat, ſemetipſum abnegare debet, id eſt, propriæ voluntati, proprio honori, proprio amori renunciare. Fide *b* Iſaac benedicit Jacob, ita fide participes reddimur omnium divinarum benedictionum: nam in ſemine *c* Abrahæ, id eſt, in Chriſto, omnes gentes benedicuntur. Fide *d* prophetavit Joſeph de exitu Iſraelitarum ex Ægypto, & de oſſibus ſuis mandabat: ita fide expectamus ex hac ſpirituali Ægypto, ſcilicet mundo, exitum, & beatum corporis reſurrectionem. Fide *e* Moſes per tres menſes ſervatus eſt: ita fides à Satanæ Tyrannide nos abſcondit, donec tandem in regale Dei palatium adducamur, & in Reges ſpirituales adoptemur. Fide *f* Moſes elegit, calamitatum populi ſui particeps eſſe potius, quam in Ægypti gloria vivere: ita

(*a*) *Matth.* 16, 24. (*b*) *Hebr.* 11, 20. (*c*) *Gen.* 21, 18. (*d*) *Gal.* 3, 8. (*e*) *Hebr.* 11, 22. 23. (*f*) *6.* 23.

ita fides excitat in nobis contemtum gloriæ, honoris, divitiarum & voluptatum hujus ſeculi, & deſiderium cœleſtis regni. Fide eligimus potius ignominiam Chriſti, quam theſauros hujus ſeculi. Fide *a* reliquit Moſes Ægyptum, nec metuebat Regis iram: ſic fides nos animat & confirmat, ne minis Tyrannorum hujus mundi terreamur, ſed forti & conſtanti animo Deo vocanti obediamus. Fide *b* celebravit Iſrael Paſcha; ita & nos Paſcha celebramus fide: Paſcha *c* noſtrum immolatus eſt Chriſtus, cujus caro *d* vere eſt cibus & cujus ſanguis verè potus. Fide *e* Iſraelitæ tranſierunt per mare rubrum; ita fide pertranſimus mare hujus ſeculi. Fide conciderunt *f* muri Hierichuntos; ita fide *g* deſtruimus omnes munitiones Satanæ. Fide *h* Rahab ſervata eſt; ita in illa univerſali hujus mundi

(*a*)*Heb*.11,25.27.(*b*)6,28. (*c*)1.*Cor*.5, 7.(*d*) *Joh*.6,55.(*e*)*Heb*.11,29. (*f*)*Joſ*. 6,20.(*g*) 1.*Cor*.10,5.(*h*)*Heb*.11.31.

di panoletria fide servabimur ab interitu. Fide *a* Patres devicerunt regna, leonum ora obturarunt, ignis vim extinxerunt: ita & nos fide regnum Satanæ destruimus, infernalis leonis insidias & furorem evadimus, & ab ignis infernalis ardore liberamur.

Fides autem non est nuda opinio & professio, sed viva & efficax Christi in Evangelio propositi apprehensio; est plenissima de gratia Dei persuasio, fiducialis cordis nostri quies, & pax in Christi merito recumbens. Nascitur hæc fides ex verbi divini semine; nam fides & spiritus unum sunt, verbum autem Spiritus sancti vehiculum: fructus sequitur naturam sui seminis, fides divinus fructus est, ergo & semen divinum adesse oportet, sc. verbum: sicut in creatione lux oriebatur ex verbo Dei, nam dixit Deus, *b* & facta est lux: ita lux fidei oritur ex luce verbi divini: *in lumine tuo c*

Vi-

(*a*) *Hebr.* 11, 33.
(*b*) *Gen.* 1, 14. (*c*) *Ps.* 36, 10.

videbimus lumen, ait Pſaltes. Cum
fides nos Chriſto conjungat, nos
cum Chriſto uniat, ideo etiam eſt in
nobis mater omnium virtutum: ubi
fides, ibi Chriſtus: ubi Chriſtus, ibi
ſancta vita, ſcilicet vera humilitas,
vera manſuetudo, vera dilectio: Chri-
ſtus & Spiritus ſanctus non divellun-
tur: ubi Spiritus ſanctus, ibi vera
ſanctitas. Ergo, ubi non eſt vita ſan-
cta, ibi non eſt ſanctificans Spiritus:
ubi non eſt Spiritus, ibi nec Chriſtus:
ubi non eſt Chriſtus, ibi nec vera fi-
des. Quicunque *a* palmes non hau-
rit vitam & ſuccum ex vite, non judi-
candus eſt cum vite conjunctus: ita
nondum per fidem Chriſto ſumus
conjuncti, niſi vitam & ſuccum ex
ipſo trahamus: fides eſt quædam ſpi-
ritualis lux, corda enim illuminantur
fide: ergo ſpargit radios bonorum o-
perum: ubi vero non ſunt radii ſpi-
ritualis vitæ, ibi etiam nondum eſt
vera lux fidei. Opera mala ſunt o-
pera

(*a*) *Joh.* 15, 4.

pera tenebrarum, *a* fides autem lux eſt, quæ vero ſocietas *b* luci cum tenebris? opera mala ſunt ſemen Satanæ, fides eſt ſemen Chriſti, quæ vero ſocietas Chriſto cum Satana? Fide *d* purificantur corda, quomodo vero poteſt eſſe interna puritas cordis, ubi impura verba, & impura opera exterius apperent. Fides *e* eſt victoria noſtra, quomodo ergo ibi poteſt eſſe vera fides, ubi caro vincit ſpiritum, & captivum quaſi ducit? per fidem habemus Chriſtum, & in Chriſto vitam æternam: ſed nullus impœnitens, & in peccatis perſeverans vitæ æternæ particeps; quomodo ergo Chriſti? quomodo fidei? Accende in nobis, ô pie Chriſte, veræ fidei lucem, ut per fidem conſequamur æternam ſalutem.

(*a*) *Rom.* 13, 12. (*b*) 2. *Cor.* 6, 14. (*c*) *Matth.* 13, 25. (*d*) *Act.* 15, 9. (*e*) *Joh.* 5, 4.

XIII.

XIII.

DE SPIRITUALI CONJUGIO CHRISTI ET ANIMÆ.

ANIMARUM SPONSUS JESUS.

D*Esponsabo (a) te mihi in sempiternum*, dicit Christus ad fidelem animam. Christus nuptiis *b* in Cana Galilæa celebratis interesse voluit, ut ostenderet, quod ad nuptias spirituales in mundum venerit. *c* Gaudens *d* gaude in Domino, & exulta, fidelis anima, in Deo tuo, qui induit te vestimentis salutis, & indumento justitiæ circumdat te, tanquam sponsam ornatam monilibus. Gaude propter sponsi *honorem*, gaude propter sponsi decorem, gaude propter sponsi amorem. HONOR illius maximus: est *e* enim verus Deus in secula benedictus: quanta ergo dignitas hujus creaturæ, fidelis scilicet animæ, quod ipse creator eam sibi vult desponsare. DECOR ipsius maximus: est

(a) Hos. 2, 19. *(b) Joh.* 2, 2. *(c) Aug. tract.* 8. *in Joh. (d) Esa.* 61, 10. *(e) Rom.* 9, 5.



Pauperiem cerno, laudo, ditissime
IESU;
numquid opes curem? Tu mihi
divitiæ es.

Ich will mich hiersetzen, es soll mich ergetzen
dein Kriplein Herr Christ.
Auch will ich anschauen dein Armuth, dir trauen:
Mein Reichthum du bist.



est *a* enim speciosus formâ præ filiis hominum, si quidem videbant *b* gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti â Patre, splendebat *c* facies ejus sicut Sol, vestimenta erant sicut nix: diffusa *d* etiam est gratia in labiis ejus, gloria *e* & honore est coronatus: quantæ ergo est misericordiæ, quod summa illa pulchritudo animam peccatorum maculis deformatam in sponsam non dedignatur sibi eligere? summa ex parte sponsi majestas, summa ex parte sponsæ infirmitas: summa ex parte sponsi venustas, summa ex parte sponsæ deformitas: & tamen major adhuc amor sponsi erga sponsam, quam sponsæ erga honoratissimum & pulcerrimum illum sponsum: Vide *AMOREM* immensum tui sponsi, ô fidelis anima: *f* amor è cœlo ad terram eum traxit, ad columnam ligavit, cruci affixit, sepulchro clausit, & ad in-

(*a*) *Ps.* 45, 3. (*b*) *Joh.* 1. 14. (*c*) *Matt.* 17, 2. (*d*) *Ps.* 45, 3. (*e*) *Ps.* 8. 6. (*f*) *Ansh. de lib. simil.*

inferos attraxit: quis fecit hæc omnia, niſi amor erga ſponſam? ſed cor noſtrum ſaxo & plumbo gravius, quod tanti amoris vinculum non trahit surſum ad Deum, ex quo prius traxit Deum ad homines, nuda *a* erat ſponſa, nec poterat ad regale cœleſtis regni palatium ita nuda introduci: ipſe induit *b* eam veſtimentis ſalutis & juſtitiæ, cum in ſordida peccatorum tunica, & turpiſſimo iniquitatis panno involuta jaceret; dedit illi, *c* ut cooperiret ſe byſſino ſplendenti & candido, byſſinum juſtificationes ſunt ſanctorum: veſtis illa eſt juſtitia, morte & paſſione ipſius ſponſi parta. Laborabat *d* Jacob quatuordecim annis, ut Rachaelem obtineret ſponſam: Chriſtus per triginta quatuor ferè annos ſuſtinuit famem, ſitim, frigus, paupertatem, ignominias, contumelias, vincula, flagella, fellis amaritudinem, mortem, crucem, ut fidelem animam ſibi parare &

(*a*) *Ezech*, 16, 22. (*b*) *Eſa*. 61, 10. (*c*) *Apoc*, 19, 8. (*d*) *Gen*, 29, 17.

& acquirere posset sponsam. Descendebat *a* Samson, & ex Philistæis exitio adjudicatis populis sibi sponsam quærebat: descendit Dei filius& sponsam sibi elegit ex damnatis & æternæ morti addictis hominibus. Inimicum erat sponsæ genus cœlesti patri, sed ipse illud per acerbissimam passionem patri reconciliavit. Conculcata erat sponsa in sanguine suo, *b* projecta super faciem terræ: sed ipse eam lavit baptismi aquâ, *c* & lavacro mundavit sanctissimo; emundavit Sponsæ sanguinem proprio suo sanguine, quia *d* filii Dei sanguis emundat ab omnibus peccatis. Sordida & deformis erat sponsa, sed ipse eam unxit oleo, *e* misericordia scilcet & gratiâ. Non erat honorificè vestita sponsa, sed ipse dedit ei *f* armillas & inaures, ornavit eam virtutibus & Spiritus sancti variis muneribus. Pauperrima erat spon-

(*a*) *Jud.* 14, 3. (*b*) *Ezech.* 16, 22. (*c*) *Eph.* 5, 26. (*d*) 1. *Joh.* 1, 7. (*e*) *Ezech.* 16, 9. (*f*) *B.* 11.

Sponſa,& quod arrhæ loco daret, non habebat, ideo reliquit ei *a* arrham Spiritus & arrham carnis ab eadem accepit, & in cœlum adduxit. Famelica erat Sponſa, ſed *b* ipſe ſimilam & mel & oleum dedit ei ad comedendum; carne & ſanguine proprio eam paſcit ad vitam æternam. Immorigera eſt Sponſa,& ſæpe fidem conjugalem frangit, fornicatur cum Mundo & Diabolo, ſed ex immenſo amore in gratiam viciſſim eam recipit Sponſus, quoties in vera converſione ad eum revertitur. Agnoſce, ò fidelis anima, tot ac tanta infiniti amoris indicia: ama, ò fidelis anima, amorem illius, qui ex amore tui deſcendit in uterum virginis: *c* tanto eum amare debemus plus nobis ipſis, quanto major ipſe eſt, qui ſe pro nobis tradidit: *d* omnis vita noſtra conformis illi reddatur, qui ex amore noſtri totum

(*a*) *Eph.* 1, 14. *Tertull.* (*b*) *Ezech.* 16, 19.(*c*)*Aug.de cate. rudib.* (*d*)*Ansh. de ſimilit. c.* 180.

tum se nobis conformavit: ingratissimus merito habetur, qui amantem se vicissim non amat, quantum ergo diligendus à nobis is, qui ex amore nostri suæ quasi majestatis oblitus: felix anima, quæ spiritualis hujus conjugii vinculo Christo conjungitur, illa omnia Christi beneficia tuto ac confidenter sibi applicat, quemadmodum alias in conjugio corruscat uxor radiis mariti: participes autem reddimur beati & spiritualis hujus conjugii solâ fide, sicut scriptum est: (*a*) *despensabo te mihi in fide:* fides Christo tanquam spirituali *b* viti nos palmites inserit, ut vitam & succum ex eo trahamus, & veluti, qui in conjugio vivunt, *c* non amplius sunt duo, sed una caro: ita, qui *d* per fidem Domino adhærent, fiunt unus spiritus cum eo, quia per fidem Christus *e* habitat in cordibus nostris; fides

F

(*a*) *Hos.* 2,19. (*b*) *Joh.* 15, 5. (*c*) *Matth.* 19, 6. (*d*) 1. *Cor.* 6,17. (*e*) *Eph.* 3, 17.

des illa, si vera est, *a* per dilectionem efficax est. Quemadmodum in V. T. *b* sacerdotes ducere cogebantur virgines: ita cœlestis ille sacerdos talem sibi virginem spiritualiter copulat, quæ à Diaboli, mundi ac propriæ carnis complexibus sese integram ac immaculatam servat. Effice, o Christe, nos dignos, ut ad nuptias *c* Agni aliquando introducamur, Amen.

(*a*) *Gal.* 5, 6. (*b*) *Lev.* 21, 7. 13.
(*c*) *Ap.* 19, 7.

XIV.

DE MYSTERIIS INCARNATIONIS.

FULGENT CUNABULA CHRISTI.

ABducamus paulisper animos nostros ab his temporalibus, & mysteria nativitatis Dominicæ contemplemur. *Filius Dei a* ad nos de cœlo descendit, ut adoptionem filiorum consequamur. *Deus* homo fit, ut ho-

(*a*) *Gal.* 4, 4. 5.



Fac JESU intuear speculum hoc,
fac mente recondam.
deserui pariter, da pariter
redeam!

Laß mich, JESU, meine sünd
also auch beweinen,
Ich kan weil die kündbar sind,
doch sie nicht beschönen.



homo divinæ gratiæ & *a* naturæ particeps fiat. *Circa mundi vesperam* nasci Christus voluit, ut significaret incarnationis beneficia non præsentem hanc, sed æternam vitam attingere. *Tempore Augusti pacifici* nasci voluit, qui humanum genus cum Deo pacificavit. *Tempore servitutis Israeliticæ* nasci voluit, qui verus liberator & vindex populi sui. *Sub imperio alieni Domini* nasci voluit, utpote *b* cujus regnum non erat de hoc mundo. Nascitur *de virgine,* ut significet, se non concipi aut nasci, nisi in cordibus eorum, qui spirituales *c* virgines sunt, hoc est, quorum mentes nec mundo, nec Diabolo, sed Deo in uno spiritu adhærent. Nascitur *purus & sanctus*, ut impuram & contaminatam nativitatem nostram sanctificet. Nascitur à virgine *viro desponsata*, in matrimonii divinitus instituti honorem. *d* Nascitur *in noctis* te-

(*a*) 2.*Petr.*1,4. (*b*) *Joh.*18,36. (*c*) 2. *Cor.* 11, 2. (*d*) *Tertul. l.* 5. *adv. Marc.*

tenebris, qui erat vera lux mundi te-
nebras illuminans. Reponitur *in*
præſepe, qui eſt verum animæ noſtræ
pabulum. Naſcitur *inter boɓem &*
aſinam, ut homines, qui jumentis
per peccatum aſſimulati erant, ad pri-
ſtinam dignitatem reducat. Naſcitur
in Bethlehem, id eſt, domo panis, qui
uberrimum divinorum beneficiorum
ſecum afferebat pabulum. *Primo-*
genitus eſt unigenitus matris ſuæ in
terris, qui ſecundam divinam Natu-
ram eſt primogenitus, & unigeni-
tus Patris in cœlis. Naſcitur *pauper*
& inops, *a* ut cœleſtes divitias nobis
comparet. Naſcitur *in ɓili pecorum*
ſtabulo, ut ad cœleſtis aulæ nos dedu-
cat palatia. *E cœlis* tanti beneficii
mittitur nuncius, quia nemo in terris
illius magnitudinem intelligebat.
Cæleſtium munerum merito etiam
cæleſtis nuncius eſt. Gaudent *Angelo-*
rum exercitus, qui nos ob incarna-
tionem Filii Dei, beatitudinis ſuæ pos-
ſunt

(*a*) 2. *Cor.* 8, 9.

ſunt habere ſocios. *Paſtoribus tantum miraculum prius nunciatur*, quia verus animarum paſtor venerat perditas oves in viam reducturus. *Contemptis & ignobilibus tanti gaudii materia nunciatur*, quia nemo ejus particeps fieri poteſt, qui non in oculis ſuis ſibi diſplicet. *Vigilantibus juxta gregem hæc nativitas nunciatur*, quia non illi, qui in peccatis ſtertunt, ſed quorum cor ad Deum vigilat, tanti muneris participes fiunt. *Jubilat cæleſtis militiæ chorus*, qui ob primi parentis culpam miſere erat contriſtatus. *Claritas Domini & Regis illius apparet in cælis*, cujus vilitatem homines deſpiciebant in terris. *Timorem dimittere jubet Angelus*, quia natus erat is, qui omnis timoris cauſas è medio erat ſublaturus. *Gaudium é cælo nuntiatur*, quia natus erat omnis gaudii autor & dator. *Gaudium præcipitur*, quia inimicitia inter Deum & homines, omnis triſtitæ cauſa, erat re-

mota. *Gloria in excelſis Deo redditur*, quam primus parens illicitâ mandati transgreſſione rapere voluerat. *Vera pax hâc nativitate parta eſt*, quia anteà homines erant Dei inimici, antea adverſa ipſis erat propria conſcientia, antea à ſemetipſis diſſidebant invicem. *Vera pax terris eſt reddita*, quia ſuperatus is, qui nos captivos detinebat. Adeamus & nos cum paſtoribus Chriſti præſepe, hoc eſt, Eccleſiam, & in faſciis, id eſt, ſcripturis ſacris involutum inveniemus hunc infantulum. Conſervemus & nos cum Maria, ſancta Domini matre, tanti myſterii verba, & quotidianâ memoriâ jugiter ea recolamus. Subſequamur voce noſtrâ præcinentes Angelos, & meritas pro tanto beneficio agamus gratias. Jubilemus & lætemur cum toto cœleſti exercitu. Si enim Angeli tantoperè gaudent noſtri cauſa, quanto magis nobis gaudendum erit, quibus *a* natus,

(*a*) *Eſa.* 9, 6.

tus, & datus hic infans? Si *a* voces & jubila tollebant Iſraelitæ, cum arca fœderis ad illos adduceretur, quæ figura & umbra fuit incarnationis Dominicæ, quanto magis nobis lætandum, ad quos ipſe Dominus in aſſumta carne noſtra deſcendit. Si Abraham *b* gaviſus eſt, cum diem Domini videret, & *c* in ſpecie humana ad tempus aſſumta Dominus ipſi appareret, quid nobis faciendum erit, cum jam naturam noſtram perpetuo & indisſolubili fœdere ſibi junxerit? Miremur hic immenſam DEI bonitatem, qui cum ad ipſum nos aſcendere non poteramus, ipſe ad nos deſcendere voluit. Miremur immenſam Dei potentiã, qui ex duobus diſtantisſimis, divina ſc. & humana natura, facere potuit unum conjunctisſimum, ut jam unus idemq; ſit Deus & homo. Miremur immenſã Dei ſapientiã, qui de noſtri redemtione mo-

(*a*) 2. *Sam.* 6, 16. (*b*) *Joh.* 8, 56. (*c*) *Gen.* 18, 2.

modum invenire potuit, cum nec Angeli nec homines modum viderent: infinitum bonum offensum erat; infinita requirebatur satisfactio: homo Deum offenderat; ab homine requirebatur satisfactio: sed ab homine nec infinita præstari poterat satisfactio, nec justitiæ divinæ satisfieri poterat sine infinito precio. *a* Factus igitur Deus homo, ut & qui peccaverat, satisfaceret, & qui infinitus erat, infinitum pretium persolveret. Miremur hoc stupendum justitiæ & misericordiæ divinæ temperamentum, quod nulla creatura, antequam Deus manifestaret, invenire poterat, nec, postquam manifestatum est, plene percipere potest. Miremur hæc, non curiosius rimemur: introspicere cupiamus, etsi totum non capiamus, fateamur potius nostram ignorantiam, quam Dei negare velimus potentiam.

XV.

(*a*) *Ansh. 2. cur Deus homo c. 18.*

XV.
DE SALUTARI FRUCTU INCARNATIONIS.

IT GRATA REDEMTIO CHR.

A*Nnuncio* (*a*) *vobis gaudium magnum*, dicit in nativitate Salvatoris nostri Angelus. Verè magnum id est, & majus, quam humana capit intelligentia. Maximum erat malum, quod sub ira Dei, sub potestate Diaboli, sub æterna damnatione captivi tenebamur; majus adhuc erat malum, quod maxima illa mala vel ignorarent, vel negligerent homines: jam vero magnum nobis nunciatur gaudium, quia venerat in mundum, qui nos ab omnibus illis malis liberaret. *b* Venit Medicus ad ægrotos, redemtor ad captivos, ad errantes via, ad mortuos vita, ad damnatos salus. Sicut Moses *c* missus à Domino ad populum Israeliticum è servitute Ægyptiaca liberandum: ita Chri-

(*a*) *Luc.* 2, 10. (*b*) *Hugo de prato dom.* 1. *Advent.* (*c*) *Exod.* 3, 10.

Christus à Patre missus ad totum genus humanum redimendum à captivitate Diabolica. Sicut *a* columba, siccatis post diluvium terris, olivæ ramusculum ad Arcam Noæ ferebat: ita Christus in mundum venit ad prædicandam pacem & generis humani cum DEO reconciliationem. Merito ergo lætamur, & de misericordia Dei magna concipimus. Qui *b* nos adhuc inimicos existentes adeo dilexit, ut naturam nostram in arctissimum divinitatis complexum assumere non fuerit dedignatus, quid per carnis participationem sibi conjunctis denegabit? *c* quis unquam carnem suam odio habuit? quomodo ergo summa illa & infinita misericordia nos suæ naturæ jam participes factos à se repellere poterit?

Quis magnitudinem hujus mysterii cogitatione, nedum verbis assequi potest? summa ibi sublimitas & sum-

(*a*) *Gen.* 8, 11. (*b*) *Rom.* 5, 8. (*c*) *Eph.* 5, 29.

ſumma vilitas, ſumma ibi potentia & ſumma infirmitas, ſumma ibi majeſtas & ſumma fragilitas, quid Deo ſublimius & homine vilius? quid DEO potentius & homine infirmius? quid Deo glorioſius & fragilius homine? ſed ſumma illa potentia invenit modum, quo hæc jungerentur, cum ſumma illa juſtitia talis conjunctionis neceſſitatem requireret. Quis magnitudinem etiam hujus myſterii percipere poteſt? *a* Æquivalens & infinitum pretium requirebatur pro offenſa hominis, quia ab infinito bono, ſcilicet Deo, homo ſe averterat, ſed quid infinito Deo æquivalens eſſe poterat? Ipſa igitur infinita juſtitia quaſi de ſe ipſa ſumit ſibi æquivalens pretium, ac in *b* carne patitur Deus creator, ne creaturæ caro in æternum patiatur. *c* Læſum erat infinitium bonum, non poterat intercedere niſi infinitæ poteſtatis Mediator, quid

(*a*) *Ansh. lib.* 2. *cur Deus homo c.* 7. (*b*) 1. *Petr.* 4, 1. (*c*) 2. *Cor.* 5, 19.

quid autem præter Deum infinitum? ipſe igitur DEUS ſibi reconciliavit mundum, ipſe Deus fit Mediator, ipſe *a* Deus ſuo ſanguine humanum genus redemit.

Quis magnitudinem hujus myſterii percipere poteſt? offenſus erat ſummus creator, nec de placatione & reconciliatione creatura erat ſolicita, idem, qui offenſus erat, creaturæ carne aſſumptâ, fit reconciliator. Deſeruerat homo Deum, atque ad inimicum Dei Diabolum ſe converterat, ſed idem, qui deſertus erat, deſertorem ſuum ſolicitus inquirit, & ad ſe benigniſſime iterum invitat. Receſſerat homo ab infinito illo bono, & prolapſus erat in infinitum malum, ſed idem illud infinitum bonum, dato infinito redemtionis pretio, ab infinito illo malo creaturam liberat. An non hæc infinita miſericordia, omnem hominis finitum intellectum & cogitationem excedens? Glorioſior

(*a*) *Actor.* 20, 28.

ſior eſt effecta Natura noſtra per Chriſtum, quam per Adami peccatum dedecorata fuerat: plus in Chriſto recepimus, quam in Adamo amiſimus: abundaverat peccatum, ſed ſuperabundavit divina gratia. Perdidimus *a* in Adamo innocentiam, in Chriſto recepimus plenam juſtitiam. Mirentur alii divinam potentiam, magis adhuc miranda eſt divina beneficentia: quamvis in Deo æqualis ſit potentia & miſericordia, utraque ſcilicet infinita. Mirentur alii creationem, mihi magis libet mirari redemtionem, quamvis & creatio & redemtio ſit infinitæ virtutis actio. Magnum eſt, hominem nihil quicquam meritum, quippe nondum exiſtentem, creare, majus adhuc eſſe videtur, hominem malè meritum redimere, & debiti ſatisfactionem in ſe recipere. Mirabile eſt, quod caro noſtra & oſſa noſtra à Deo nobis ſint formata; miralibius adhuc eſt, quod ipſe Deus *b* caro de

(*a*) *Rom.* 5, 18. (*b*) *Epheſ.* 5, 30.

carne nostra, & os de ossibus nostris fieri voluit. O anima mea, esto grata Deo tuo, qui te creavit, cum nondum esses, qui te redemit, cum per peccatum damnata esses, qui tibi per fidem Christo adhærenti cœlestia præparavit gaudia.

XVI.

DE SPIRITUALI PIORUM REFECTIONE.

QUID DEUS EST ANIMÆ? LUX, MEDICINA, CIBUS.

MAgnum benignissimus Deus (a) paravit convivium, sed famelica corda ad illud afferenda sunt. Non percipit cœlestis convivii suavitatem, qui non gustat: non gustat, qui non esurit. In Christum credere, est ad convivium cœleste accedere: nemo autem potest credere, nisi qui peccatis suis agnitis verè conteritur atque pœnitet. Contritio est animæ spiritualis esuritio: fides est spiritualis pa-

(a) *Luc.* 14, 16.





Hanc animæ requiem quæsivi: CHRISte dedisti:
Mansero si Tecum, Basia dextra dabit.

Bey dir Jesu, hab ich Ruſt,
Will auch bey dir bleiben.
Deine Rechte mich vmfaſt,
Nichts soll mich vertreiben.

paſtio. *a* Iſraelitis Deus in deſerto dabat manna *b* Angelorum panem, in hoc convivio Nov. T. Deus cœleſte manna ſcilicet gratiam ſuam, peccatorum condonationem, imo filium ſuum, Angelorum Dominum, nobis donat. *c* Chriſtus eſt verus ille cœleſtis panis, qui de cœlo deſcendit, ut daret vitam mundo. Plenus porcorum ſiliquis, hoc eſt, hujus mundi delitiis, non deſiderat illam ſuavitatem. Exterior homo non percipit, quid interiori dulce ſit: in deſerto dat DEUS ſuum manna, id eſt, ubi omnis terrenus cibus, omnis terrena conſolatio animæ ſubtracta. Qui uxores habent, *d* venire detrectabant: caſtæ virgines, id eſt, animæ nec Diabolo per peccata, nec mundo per delitias adhærentes, accedunt ad hoc convivium: *Deſpondi* (*e*) *vos caſtam virginem uni viro*, inquit Apoſtolus:

(*a*) *Exod.* 16, 4. (*b*) *Pſ.* 78, 26. (*c*) *Joh.* 6, 51. (*d*) *Luc.* 14, 20. (*e*) 2. *Cor.* 11, 2.

lus: anima noſtra non debet adulterio ſpirituali indulgere, ut Deus cum ipſa ſpirituale conjugium poſſit contrahere: qui *a* agri viſendi delectatione tenebantur, venire recuſabant: qui hujus mundi voluptates amant, ad cœleſtem ſuavitatem non aſpirant: deſiderium eſt pes animæ, non accedit anima noſtra ad convivium hoc myſticum, ſi non deſiderat; non poteſt anima hujus mundi conſolatione repleta cœleſtem ſuavitatem deſiderare. Cum *b* dives juvenis audiret propter Chriſtum divitias, quibus anima ejus adhærebat, eſſe deſerendas, diſcedebat triſtis: cœleſtis *c* Eliſæus Chriſtus non infundit oleum cœleſtis ſuavitatis, niſi omnia vaſa prius vacua: non ingreditur in animam amor Dei, niſi prius exeat amor proprius, & amor mundi. Ubi *d* theſaurus noſter, ibi cor noſtrum: ſi pro theſauro habes

(*a*) *Luc.* 14, 18. (*b*) *Matth.* 19, 22. (*c*) 2. *Reg.* 4, 4. (*d*) *Matth.* 6, 21.

bes mundum, cor tuum est in mundo: *a* Amoris vis est unitiva, si terram amas, terræ unitus es: amoris vis immutativa, si mundum amas, mundanus efficieris, si cœlum amas, cœlestis eris. Qui boves *b* emunt & negotiantur, non veniunt ad Christum. Qui corde *c* suo divitiis adhærent, cœlestes divitias non requirunt: divitiæ terrenæ falsâ quâdam sufficientiæ specie animæ desiderium explent, ne veram suam sufficientiam, quæ planè satiat appetitum, in Deo requirat; omnes divitiæ terrenæ consistunt in creaturis, in argento, auro, ædificiis, fundis, pecoribus: nulla autem creatura verè satiat animam nostram; quia illa est omnibus creaturis præstantior, omnes enim in ipsius usum conditæ: quam infirmæ sint creaturæ ad nostra desideria implenda & satianda, patet in morte, in qua ab omnibus deserimur creaturis;

 mi-

(*a*) *Sabanar. in Ps.* 51. (*b*) *Luc.* 14. 19. (*c*) *Ps.* 62, 11.

mirum est, nos tam firmiter creaturis adhærere, cum tam infirmiter & instabiliter, illæ adhæreant nobis. *a* Adamus, cum à Dei consolatione se averteret, & in arbore scientiæ boni & mali delectatinem quæreret, è Paradiso expellebatur: anima nostra, si à Deo ad creaturas se adverterit, cœlesti consolatione privatur, & ab arbore vitæ penitus arcetur. Quid vero restat illis, qui hoc convivium negligunt? *b* transit mundus & omnes, qui adhærent ipsi, transeunt creaturæ, & omnes, qui spem posuerunt in eis: jurat cœlestis Pater, *c* non gustaturos illos cœnam, qui boves, agros, uxores, hoc est, quicunque terrena cœlestis convivii suavitati præferunt: post cœnam non ulterius cibus apparatur; neglecto Christo, nullum amplius restat remedium: contemtores æternâ fame punientur, & in æternis vivent tenebris: qui no-

(*a*) *Gen.* 3, 24. (*b*) 1. *Cor.* 7, 31. 1. *Joh.* 2, 17. (*c*) *Luc.* 14, 24.

noluerunt audire Christum vocantem: *a Venite ad me, qui laboratis & onerati estis*: audient aliquando ipsum præcipientem: *Ite maledicti in ignem æternum. b* Sodomitæ *c* igne absumebantur, cum per Lothi concionem ad hoc convivium vocati venire recusabant: ignis divini furoris in æternum durans absumet illos, qui per Evangelium vocati convivium hoc spreverunt: sponso *d* veniente virgines, quarum lampades oleo destituebantur, moras nectunt, interim janua clauditur: quorum corda Spiritus sancti oleo non repleta in hoc mundo, non intromittet illos Christus ad suum gaudium, sed claudetur illis janua indulgentiæ, janua misericordiæ, janua consolationis, janua spei, janua gratiæ, janua bonorum operum. *e* Est adhuc interna quædam Christi vocario, felix, qui

(*a*) *Matth.* 11, 28. (*b*) *Matth.* 25, 41 (*c*) *Gen.* 19, 24. (*d*) *Matth.* 25, 10. (*e*) *Granat. lib.* 1. *memorial. carp.* 1.

audit eam! *a* pulſat ſæpius januam cordis noſtri Chriſtus ſanctis deſideriis, devotis gemitibus, piis cogitationibus; felix, qui pulſanti aperit! Quam primum ſanctum aliquod cœleſtis gratiæ deſiderium in corde ſentis, certo ſtatue, Chriſtum cor tnum pulſare, intromitte eum, ne tranſeat, ne tibi miſericordiæ ſuæ januam ipſe poſteà occludat. Quamprimum flammulam aliquam piarum meditationū in corde ſentis, judica à fervore divini amoris, ſancti ſcilicet Spiritus, eam accenſam, fove & ale flamman illam, ut in ignem amoris excreſcat; cave *b* ne Spiritum extinguas, & opus Domini impedias: Qui *c* deſtruit templum Domini, ſeverum ejus judicium ſentiet. Templum Domini eſt cor noſtrum: illud deſtruit, qui Spiritui ſancto interius per verbum vocanti locum dare renuit. In V. T. Prophetæ *d* interius loquentem audire pote-

(*a*) *Apoc.* 3, 20. (*b*) 1. *Theſſ.* 5, 19. (*c*) 1. *Cor.* 3, 17. (*d*) 2. *Pet.* 1, 21.

terant Dominum: in N. T. omnes vere pii internos illos Spiritus sancti motus atque tractus sentiunt: Beati omnes, qui audiunt & sequntur.

XVII.

DE BAPTISMI FRUCTIBUS.

SACRUM BAPTISMA LAVACRUM EST.

RECORDARE, fidelis anima, magnæ Dei gratiæ in salutari Baptismi lavacro tibi præstitæ, Baptismus *a* est lavacrum regenerationis, ergo Baptismi lavacro tinctus non amplius totus est in vetustate carnalis nativitatis, sed quia *b* ex Deo natus, per aquam scilicet & spiritum, ideo etiam Dei Filius, & quia filius, *c* ideo etiam æternæ felicitatis hæres. Ut *d* Pater æternus in baptismo Christi edit hanc vocem: *Hic est Filius meus dilectus:* ita omnes, qui credunt & baptizantur, in filios adoptat. Sicut

(*a*) *Tit.* 3,5. (*b*) *Joh.* 3,5. (*c*) *Rom.* 8, 17. (*d*) *Matth.* 3,17.

in Baptiſmo Chriſti Spiritus ſanctus adparuit in ſpecie columbæ; ita quoque in noſtro baptiſmo adeſt, eique vim tribuit; imo etiam per baptiſmum confertur credentibus, atque in eis novos motus efficit, ut ſint *a* prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ. Sicut erat in creatione; ita quoque res ſe habet in noſtra regeneratione. In prima rerum creatione Spiritus Domini *b* incubabat aquis & vitalem vim eis conferrebat: ita quoque in aqua baptiſmatis adeſt ſanctus Spiritus, eamque ſalutare noſtræ regenerationis medium efficit. *c* Ipſe Salvator noſter Chriſtus baptizari voluit; ut teſtatum faceret, nos per baptiſmum ejus membra effici: ſæpius medicina capiti adhibetur, ut alia corporis membra ſanentur; caput noſtrum ſpirituale Chriſtus eſt, baptiſmi medicinam pro ſalute myſtici corporis aſſumſit: In cir-

(*a*) *Matth.* 10, 16. (*b*) *Gen.* 1, 2. (*c*) *Rabanus l.* 5. *de ſer. prop. l.* 11.

circumcisione Deus *a* fœdus inibat cum suo populo in V. T. ita per baptismum recipimur in fœdus Dei in N. T. *b* quia in locum circumcisionis baptismus successit : qui ergo est in Dei fœdere , non timeat à Diaboli accusatione. In Baptismo *c* Christus induitur, hinc sancti dicuntur *d* dealbâsse stolas suas in sanguine agni: perfecta Christi justitia est vestis illa pulcherrima; qui ergo hac indutus est veste, non timeat à peccatorum labe. Erat *e* Hierosolymis piscina circa probaticam , in eam certo tempore descendebat Angelus, eamque turbabat, qui primus post turbationem in eam descendebat, sanabatur, à quocunque detineretur morbo; aqua baptismi est piscina ista, quæ ab omni peccatorum morbo nos sanat, quando Spiritus sanctus in eam descendit , eamque sanguine Christi, qui

(*a*) *Gen.* 17, 11. (*b*) *Col.* 2, 11. (*c*) *Gal.* 3, 27. (*d*) *Apoc.* 7, 14. (*e*) *Joh.* 5, 4.

qui pro nobis victima factus, turbat: ſicut & olim in Hieroſolymitana iſta piſcina victimæ abluebantur. Circa *a* baptiſmum Chriſti aperiebantur cœli: ita quoque in noſtro baptiſmo cœleſtis aperitur janua. In Chriſti baptiſmo aderat tota ſacroſancta Trinitas: ita quoque in noſtro baptiſmo adeſt: & ſic in verbo illo promisſionis, quod annexum eſt elemento aquæ, fides accipit gratiam Patris adoptantis, & meritum Filii mundantis, & efficaciam Spiritus ſancti regenerantis. *b* Pharao *c* & omnis exercitus ſubmergebatur in mari rubro, Iſraelitæ ſalvi & incolumes pertranſibant: ſic in baptiſmo ſubmergitur omnis exercitus vitiorum, & fideles ſalvi ad promiſſam cœleſtis regni hæreditatem perveniunt, ideo quoque baptiſmus eſt *d* mare illud vitreum, quod videbat Johannes, per eum, velut

(*a*) *Matth.* 3, 16. (*c*) *Luther. art.* 5. *conc Matth.* (*c*) *Exod.* 14, 28. (*a*) *Apoc.* 4, 6. *Dionyſ. Cart. ib.*

lut per vitrum quoddam, ſplendor Solis juſtitiæ mentes noſtras intrat: erat autem illud mare ante thronum agni. Thronus agni eſt Eccleſia, in qua ſolà habetur ſancti baptiſmatis gratia. Videbat *a* Propheta Ezechiel aquas egredientes ex templo, quæ vivificabant & ſanabant omnia: in templo Dei ſpirituali, hoc eſt, Eccleſiâ, ſcaturiunt adhuc ſalutares baptiſmi aquæ, in quarum *b* profundum projiciuntur peccata noſtra, ſanabuntur & vivent omnia, ad quæ venerit torrens iſte. Baptiſmus eſt ſpirituale diluvium, quo omnis caro peccati mergitur; corvus immundus ſeu Diabolus exit, columba vero ſeu Spiritus ſanctus devolat, & folium olivæ, id eſt, pacem ac tranquillitatem mentibus inſpirat. Recordare ergo, fidelis anima, maximæ iſtius gratiæ in baptiſmo tibi præſtitæ, & debitas Deo gratias age.

(*a*) *Ezech*. 47, 1. *Mich*. 5, 19.

Cæterum, quo uberior in nos collata est per baptismum gratia, eo diligentior collatorum donorum esse debet custodia. *a* Sepulti sumus cum Christo per baptismum in mortem, ideo, ut Christus excitatus ex mortuis in gloriam patris, ita & nos in nova vita incedamus. Sani facti sumus, ergo non peccemus amplius, *b* ne quid deterius nobis contingat: induimus Christi justitiam, vestem longe pretiosissimã, ergo peccatorum maculis eam non inquinemus, vetus noster homo crucifixus & mortuus est in baptismo, vivat ergo novus homo: *c* regenerati sumus, & Spiritu mentis renovati in baptismo, ergo caro non dominetur Spiritui: *d* vetera transierunt, ecce nova facta sunt omnia, vetustas ergo carnis non prævaleat novitati Spiritus: Filii Dei facti sumus per spiritualem regenerationem: agamus ergo vitam tali patre dignam; templum

(*a*) *Rom.* 6,4. (*b*) *Joh.*5,14. (*c*) *Eph.* 4,23. (*d*) 1. *Corinth.* 5, 17.

plum ſancti Spiritus facti ſumus, paremus ergo gratam tanto hoſpiti ſedem: in fœdus DEI recepti ſumus, caveamus ergo, ne Diaboli ſtipendiis mereamur, & ſic fœderis gratia excidamus. Effice in nobis hæc omnia, ô benedicta Trinitas, unus Deus, qui dediſti tantam in baptiſmo gratiam, da etiam in tanta gratia perſeverantiam!

XVIII.

DE SALUTARI CORPORIS ET SANGUINIS CHRISTI PARTICIPATIONE.

VITÆ FONS EST CARO CHRISTI.

QUi *a* manducat carnem meam, & bibit ſanguinem meum, vivet in æternum, dicit Chriſtus. Magnum omnino Salvatoris noſtri beneficium, quod non ſolum carnem noſtram aſſumpſit, & in cœleſtis gloriæ thronum evexit: ſed etiam corpore & ſangine ſuo ad vitam æternam nos-

(*a*) *Joh.* 6, 54.

nosmet pascit. O salutares animæ delitias! O exoptatum convivium! O cœlestem & Angelicum cibum! Quamvis angeli *a* desiderent in magnum illud mysterium introspicere; non tamen *b* Angelos, sed Abrahæ semen assumsit: propinquior nobis Salvator noster, quam ipsis Angelis, quia dilectionem ipsius ex eo cognovimus, *c* quod de spiritu suo dedit nobis: neque solum de Spiritu, sed etiam de corpore & sangvine suo: sic enim de pane & vino Eucharistico dicit Veritas: *d Hoc corpus meum, hic sangvis meus.* Quomodo oblivisci eorum poterit Dominus, quos suo corpore & sanguine redemit, quos suo corpore & sanguine aluit? Qui *e* manducat carnem & bibit sanguinem Christi, manet in Christo & Christus in ipso. Non igitur magnopere admiror, quod *f* capilli capitis nostri numerati, quod no-

(*a*) 1. *Pet.* 1, 12. (*b*) *Hebr.* 2, 16. (*c*) 1. *Joh.* 4, 13. (*d*) *Matth* 26, 26. (*e*) *Joh.* 6, 56. (*f*) *Matth.* 10, 30.

a nomina nostra in cœlo scripta, quod *b* in manibus Domini descripti simus, & in *c* sinu ejus ac matrice portemur: quia Christi corpore & sanguine pascimur. Magna profecto dignitas animarum nostrarum, quæ pretioso redemtionis suæ λύτρῳ pascuntur. Magna etiam dignitas corporum nostrorum, quæ animæ Christi eorpore redemtæ, Christi corpore saturatæ habitacula, Spiritus sancti Templa, totiusque sacratissimæ Trinitatis domicililia; *d* fieri non potest, ut eadem in sepulchro maneant, cum nutrita sint corpore & sanguine Domini nostri. Hic ille cibus grandium, manducamus eum, nec tamen mutamus eum in corpus nostrum, sed mutamur in ipsum. Christi membra sumus, & ipsius Spiritu animamur, corpore & sanguine pascimur. Hic

a pa-

(*a*) *Luc.* 10, 20. (*b*) *Esa.* 49, 16. (*c*) *Esa.* 46, 3. (*d*) *Iren. lib.* 4. c. 14. *Aug.*

a panis est, qui de cœlo descendit, & dat vitam mundo, de eo si quis comederit, non esuriet in æternum. Panis hic gratiæ & misericordiæ, quem si quis comederit, *b* gustat & videt quam suavis sit Dominus, & *c* ex plenitudine ipsius accipit gratiam pro gratia. Panis hic vitæ est, non solum vivens, *d* sed etiam vivificans, si quis ex hoc manducaverit, vivet in æternum. Panis hic de cœlo descendit, neque solum cœlestis est, sed etiam convivas cœlestes efficit, qui salutariter & in Spiritu illum comedunt, cœlestes erunt, qui non morientur, sed in novissimo die resuscitabuntur. Resuscitabuntur autem non ad judicium, quia qui manducat de hoc pane, non venit ad judicium, non ad damnationem, quia *e* nulla est condemnatio his, qui sunt in Christo JESU; sed ad vitam & salutem. Qui enim manducat carnem filii hominis, &

(*a*) *Joh.* 1, 51. (*b*) *Ps.* 34, 9. (*c*) *Joh.* 1, 16. (*d*) *Joh.* 6, 33. (*e*) *Rom.* 8, 1.

& bibit ejus ſanguinem, vitam habet in ſe, & propter Chriſtum vivet. *a* Caro illius vere eſt cibus, ſanguis illius vere eſt potus. *b* Saturemur *c* igitur non operum noſtrorum, ſed Domini cibo, inebriemur *d* ab ubertate, non domus noſtræ, ſed Domini. Hic verus vitæ fons eſt, qui *e* biberit illius aquam, fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam. Omnes *f* ſitientes venite ad has aquas, & qui non habetis argentum, properate, emite, comedite. Veniant ſitientes, veni etiam ſitiens anima mea, peccatorum æſtu exagitata. Quod ſi argento meritorum deſtitueris, eo magis propera: meritis tuis deſtitutus ad Chriſti meritum ardentius propera. Propera igitur, & eme absque argento. *g* Cubiculum hic Chriſti & animæ, à quo non deterreant peccata, neque etiam intrent merita. Sed quæ eſſe poſſint

(*a*) *Joh.* 6, 57. 58. (*b*) *ib.* 55. (*c*) *Eſa.* 55, 2. (*d*) *Pſ.* 36, 9. (*e*) *Joh.* 4, 14. (*f*) *Eſ.* 55, 1. (*g*) *D. Luther.*

possint nostra merita? Appendunt argentum non in panibus, & laborem non in saturitate, dicit Propheta: *a* labores nostri non exsaturant, neque meritorum argento divina emitur gratia. Audi igitur, anima mea, & comede bonum, & delectaberis in crassitudine. Verba isthæc *b* Spiritus sunt & vita; & verba vitæ æternæ: Calix *c* benedictionis communicatio sanguinis Christi; panis, quem frangimus, participatio corporis Domini. Adhæremus Domino; igitur *d* Spiritus sumus unus cum ipso. Unimur ipsi, non solum Naturæ communione, sed etiam corporis & sanguinis participatione. Non igitur dico cum Judæis, *e* quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum? Sed potius exclamo: Quomodo carnem suam ad comedendum, & sanguinem suum ad bibendum distribuit no-

(*a*) *Es.* 55, 2. (*b*) *Joh.* 6, 63. (*c*) 1. *Cor.* 10, 16. (*d*) 1. *Cor.* 6, 17. (e) *Joh.* 6, 52.

nobis Dominus? Non rimor potentiam, ſed miror benevolentiam. Non ſcrutor majeſtatem, ſed veneor bonitatem. Præſentiam credo, præſentiæ modum ignoro: arctiſſimum & peniſſimum eum eſſe certo ſcio. Membra *a* ſumus corporis ejus: caro de carne: os de oſſibus ipſius: habitat ipſe in nobis, & nos in eo. In hujus profundiſſimæ abyſſi cogitatione ſubmergi deſiderat anima mea, bonitatem illam, quibus verbis proferat aut declaret, nondum invenit, ſed maximæ illius gratiæ in Domino; gloriæ in beatis intuitu penitus obſtupeſcit.

(*a*) *Eph.* 5, 30.

XIX.

DE COENÆ DOMINICÆ MYSTERIO.

MIRARI, NON RIMARI SAPIENTIA VERA EST.

IN ſacra Domini cœna tremendum & modis omnibus adorandum nobis

bis proponitur myſterium; eſt ibi divinæ gratiæ theſaurus & gazophylacium. Arborem *a* vitæ plantatam à Deo novimus, cujus fructus in concreatæ immortalitatis felicitate primos noſtros parentes eorumque poſteros conſervaret; conſtituta etiam erat in Paradiſo arbor ſcientiæ boni & mali, ſed enim illud ipſum, quod à Deo in ipſorum ſalutem & vitam, atque ad obedientiæ exercitium datum, illud mortis ad damnationis fuit occaſio, dum miſeri illi Satanæ illecebris, ſuisque obſequuntur deſideriis; hic parata viciſſim vera arbor vitæ, dulce illud lignum, *b* cujus folia ſunt in medicinam, fructus in ſalutem: ejus dulcedo omnem malorum, ipſius etiam mortis amariciem tollit. Iſraelitis *c* manna dabatur, ut cœleſti nutrirentur cibo; hic eſt *d* verum illud manna, quod de cœlo de-

(*a*) *Gen.* 2, 9. (*b*) *Ezech.* 47, 12. *Apocal.* 22, 2. (*c*) *Exod.* 16, 15. (*d*) *Joh.* 6, 51.

descendit, ut vitam daret mundo; hic est panis cœlestis & Angelicus cibus, *a* de quo si quis comederit, non esuriet unquam. Israelitæ *b* habebant arcam fœderis& propitiatorium, ubi Dominum ab ore ad os loquentem audire poterant, hic vera fœderis arca, sanctissimum Christi corpus. *c* in quo omnes scientiæ, cognitionis & sapientiæ thesauri reconditi: hic *d* verum est propitiatorium in Christi sanguine, qui efficit, *e* ut dilecti simus in dilecto, neque solum nobis loquitur per internam consolationem, sed in nobis habitat, non cibat nos cœlesti manna, sed seipso. Hic *f* vere porta cœli & scala Angelorum, num enim cœlum majus est, quam is, qui in cœlo? num cœlum DEO arctius unitum, quam caro & assumta Natura humana? cœlum *g* quidem sedes Dei; sed in Natura assumta Christi

a te-

(*a*) 6. 35. (*b*) *Exod.* 25, 21. (*c*) *Col.* 2, 3. (*d*) *Rom.* 3, 25. (*e*) *Eph.* 1, 6. (*f*) *Gen.* 28, 12. (*g*) *Esa.* 66, 1.

a requiescit Spiritus sanctus. Deus est in cœlis, sed in Christ9 habitat divinitatis plenitudo. Vere magnum est hoc & infallibile salutis nostræ pignus: quod majus dare poterat, non habebat: quid enim ipso majus? quid tam arcte ipsi unitum, quam natura ejus humana, quæ in consortium beatissimæ Trinitatis assumpta, & cœlestium bonorum thesauraria facta? *b* quid tam arcte ipsi conjunctum, quam caro & sanguis? his autem verè cœlestibus alimentis nos miseros vermiculos reficit, & suæ Naturæ participes facit, quomodo non & gratiæ? Quis *c* unquam carnem suam odio habuit? quomodo ergo nos despicere poterit Dominus, quos sua carne, suoque sanguine pascit? quomodo oblivisci eorum poterit, quibus arrham sui corporis dedit? quomodo subvertere nos poterit Satanas, cum cœlesti reficiamur cibo, ne de-

(*a*) *Esa.* 11, 2. *Col.* 2, 9. (*b*) *Ambros. de resur.* (*c*) *Eph.* 5, 29.

deficiamus in prælio? Charos nos habet Christus, quia chare nos emit; charos noshabet, quia charis & pretiosis pascit; charos nos habet, quia *a* ipsius charo & membra sumus. Hæc unica omnium morborum spiritualium panacæa, *b* hoc τῆς ἀθανασίας φάρμακον; *c* quod enim peccatum tantum, quod sancta Dei caro non expiet? quod peccatum tantum, quod vivifica Christi caro non sanet? quid tam ad mortem, quod filii Dei morte non tollatur? quæ tam mortifera Diaboli tela, quæ in hoc divinæ gratiæ fonte non extinguantur? quæ tanta conscientiæ labes, quam sanguis hic non emundet? Israelitis *d* in nube & igne aderat Dominus, hic vero non nubes, sed *e* ipse sol justitiæ, animarum nostrarum Lux præsens, hic non ignis divini furoris, sed fervor charitatis sentitur,

H ne-

(*a*) *Eph* 5, 30. (*b*) *Ignat. Epist.* 11. *ad Eph.* (*c*) *Bernh. serm.* 10. *hebd. per nos* (*d*) *Exod.* 13, 21. (*e*) *Mal.* 4, 2.

neque recedit à nobis, sed *a* mansionem apud nos facit. Primi *b* parentes in Paradisum, hortum illum fragrantissimum & suavissimum, æternæ beatitudinis typum introducebantur, ut divinæ benignitatis admoniti, debitum creatori suo præstarent obsequium. Ecce plusquam Paradisus hoc loco; creatoris enim carne saturatur creatura. Filii Dei sanguine mundatur pœnitens conscientia, corpore Christi aluntur Christi capitis membra: divinis & cœlestibus epulis pascitur fidelis anima. Sancta Dei caro, quam adorant in unitate personæ Angeli, venerantur Archangeli, tremunt potestates, admirantur virtutes, illa sit spiritualis nostra alimonia. Lætentur *c* cœli & exultet terra, magis autem fidelis anima, cui tanta ac talia impenduntur munera.

(*a*) *Joh.* 14, 23. (*b*) *Gen.* 2, 8. (*c*) *Ps.* 96, 11.

XX.

XX.

DE SERIA ANTE USUM SACRÆ COENÆ PRÆPARATIONE.

CHRISTI SIS PROVIDUS HOSPES.

NOn vulgares quædam epulæ, nec Regis quoddam convivium, ſed ſanctiſſimum corporis & ſanguinis Chriſti myſterium nobis proponitur tractandum. Utique igitur digna requiritur præparatio: ne pro vita inveniamus mortem: pro miſericordia accipiamus judicium: quam trepidat, quam timet ſanctiſſimus ille Patriarcha *a* fidei fortitudine inſignis, cum aliquando Dei filius in hominis forma ipſi appareret, & Sodomam ſe everſurum pronunciaret: hic non aſpiciendus proponitur Dei agnus, ſed guſtandus & eſitandus. Ulias *b* cum inconſultius ad arcam fœderis accederet, lepra à Domino percuſſus eſt protinus: quid igitur mi-

(*a*) *Gen.* 18,2.(*b*) *Paral.*26,16.

mirum, *a* si judicium sibi edit & bibit, qui indigne de hoc pane edit, & de hoc vino bibit? hic enim vera Novi fœderis arca per illam veterem præfigurata. Veram autem præparationem *b* unico verbo docet Apostolus: *Probet seipsum* (inquit) *homo, & sic edat de pane hoc.* Ut autem omnis probatio divina ad divinæ Scripturæ Normam exigenda: pari ratione etiam hæc, quam requirit Paulus. Consideremus igitur *primo loco* nostram infirmitatem. Quid est homo? *c* pulvis & cinis: e terra nascimur, de terra vivimus, in terram revertimur. Quid est homo? sperma fœtitum, saccus stercorum & cibus vermium. *d* Homo natus ad laborem, non ad honorem: Homo *e* natus de muliere, & ob hoc cum reatu, brevi vivit tempore, ideoque cum metu, repletus multis miseriis, ideoque

(*a*) 1. *Cor.* 11, 29. (*b*) 1. *Cor.* 11, 28. (*c*) *Gen.* 18, 27. (*d*) *Bernh. lib. Medit.* c. 3. (*e*) *Job.* 14, 1.

que cum fletu, & vere multis, quia corporis & animæ simul. *a* Nescit homo ortum suum, nescit obitum, ut herba solstitialis paulisper sumus, ac brevis illa vita dolores & labores habet minimè breves. Consideremus *secundo loco* nostram indignitatem: omnis quidem creatura, respectu creatoris, umbra, somnium, *b* nihil; utique etiam homo. Sed pluribus & gravioribus modis indignus est homo: peccatis enim creatorem suum offendit. DEUS Natura & essentia justus est: Natura igitur & essentia peccatis irascitur. Quid nos stipulæ ad *c* ignem illum consumentem? quomodo fœdissima nostra facta consistent? quomodo iniquitates nostræ, *d* quas ponis coram te, & errores nostri, quos collocas in lumine vultus tui? Infinitus DEus & semper sui similis, infinitæ justitiæ, & infinitæ iræ: quod si in omnibus operibus, utique etiam in

(*a*) *Bernh. lib.* 1. *ad Eugen.* (*b*) *Ps.* 39, 7. (*c*) *Deut.* 4, 24. (*d*) *Ps.* 90, 9.

in ira, in juſtitia & vindicta Deus magnus eſt & admirabilis prorſus. Qui non pepercit filio, nunquid parcet figmento? qui non pepercit ſanctiſſimo, nunquid parcet ſervulo nequam? In tanto apud Deum odio peccatum eſt, ut puniat illud in dilectiſſimis, quod patet in Lucifero, Angelorum primario. Probatio autem *non ſolum nos* reſpiciat, *ſed etiam benedictum hunc panem*, qui eſt communicatio corporis Chriſti: tum verus gratiæ fons, & inexhauſta miſericordiæ ſcaturigo apparebit; prorſus negligere nos non poterit Dominus, quos ſuæ carnis participes facit: quis *a* enim carnem ſuam unquam odio habuit? hæ igitur ſanctæ epulæ transmutabunt animas noſtras: hæ diviniſſimæ epulæ divinos homines nos efficient, donec tandem futuræ felicitatis conſortes efficiemur *b* θεοῦ ὅλου καὶ μόνου χωρητικοί, καὶ ὅλοι

(*a*) *Eph.* 5, 29. (*b*) *Nazian. orat.* 4. *de Theol.*

ὅλοι θεοειδεῖς; quod hic in ſide & myſterio illic in re & apertiſſime habebimus. Ipſa quoque corpora noſtra hanc dignitatem conſequentur, ut *a* in illis Deum à facie ad faciem videre poſſumus, quæ jam ſunt Spiritus ſancti templa, & Chriſti inhabitantis corpore & ſanguine ſanctificantur & vivificantur, hæc ſanctiſſima Medicina ſanat omnia peccatorum vulnera: hæc vivifica caro omne mortale peccatum ſuperat? hoc ſanctiſſimum promiſſionum divinarum ſigillum eſt, quod coram judicio divino oſtendere poſſumus: hoc pignore nobis dato de vita æterna ſatis tuto gloriamur, ſi Chriſti corpus & ſanguis nobis exhibentur, utique etiam omnia beneficia, per ſanctiſſimum illud corpus & benedictum illum ſanguinem parta: quomodo, qui minora dedit, majora denegabit? qui Filium *b* ſuum dedit nobis, quomodo non o-

(*a*) 1. *Cor.* 13, 12. (*b*) *Rom.* 8, 32.

mnia cum eo dabit? Exultet *a* igitur Sponſa, quia tempus prope eſt, quando ad nuptias agni vocabitur, induatur pretioſis, accipiat *b* nuptialem veſtem, ne inveniatur nuda: veſtis illa Sponſi juſtitia, quam in baptiſmo induimus: Juſtitia noſtra tantum abeſt, ut veſtis nuptialis ſit, ut etiam ſit pannus *c* mulieris menſtruatæ. Timeamus igitur ad ſolennitatem illam nuptialem turpiſſimas illas & fœtidiſſimas operum noſtrorum veſtes afferre; induat nos Dominus, *d* ne inveniamur nudi.

(*a*) *Apoc.* 19,7. (*b*) *Matth.* 22,12. (*c*) *Eſ.* 64,6. (*d*) 2. *Cor.* 5,3.

XXI.

DE CHRISTI ASCENSIONE.

CUM CHRISTO ASCENDERE NOSTRUM EST.

COgita, fidelis anima, aſcenſionem Sponſi tui: Chriſtus viſibilem

lem præsentiam fidelibus suis subtraxit, ut fides haberet exercitium, beati *a* namque, qui non vident & credunt. Ubi est *b* Thesaurus noster, ibi sit etiam cor nostrum. Thesaurus noster Christus in cœlo est, cœlestibus *c* ergo adhærat cor nostrum, & ea, quæ sursum sunt, cogitet. Sponsa reditum sui Sponsi ardentissimis exoptat gemitibus: ita fidelis anima semper exoptet adventare diem illum, in quo *d* ad nuptias agni introducatur, confidat in arrha sancti Spiritus, quam ascendens reliquit ei Dominus: confidat in corpore & sanguine Domini, quæ in cœnæ mysterio accipit, *e* & credat corpora nostra cibo hoc incorruptibili saturata aliquando resuscitatum iri; quod jam credimus, tunc videbimus, & nostra spes tunc erit res; sub specie *f* aliena adest

(*a*) *Joh.* 20, 29. (*b*) *Matth.* 6, 21. (*c*) *Col.* 3, 2. (*d*) *Apoc.* 9, 7. (*e*) *Iren. lib.* 4. *c.* 34. *Aug. in Ps.* 74. (*f*) *Luc.* 24, 15.

adeſt viatoribus nobis Dominus, ſed in cœleſtis patriæ diverſorio eum agnoſcemus & intuebimur. Voluit autem Salvator noſter à monte *a* oliveti aſcendere; oliva pacis & gaudii inſigne, merito ergo ab oliveti aſcendit monte, qui territis & conſternatis conſcientiis tranquillitatem peperit ſua paſſione: merito ab oliveti aſcendit monte, qui maxima cœleſtis curiæ accipitur jubilatione. Montana illa nos ad cœleſtia vocant, ſequamur ſanctis deſideriis, quia pedibus non poſſumus ſequi corporeis. Moſes *b* itidem in monte aſcendit ad Dominum, in monte *c* ſancti adorarunt Patriarchæ, montana *d* elegit Abraham, Loth vero planiciem: relinquat fidelis anima mundi planiciem, & ad cœli montana ſancta devotione contendat, ita dulciſſima ſentiet DEI interius loquentis alloquia, ita in

(*a*) *Actor.* 1, 12. (*b*) *Exod.* 19, 3. (*c*) *Joh.* 4, 20. (*d*) *Gen.* 13. 11.

in oratione ſua poterit *a* adorare in Spiritu, ita conflagrationem æternam mundanæ planiciei paratam poterit cum Abrahamo effugere. Bethania villam humilitatis & afflictionis notat, per quam ad regnum cœlorum nobis patet aditus, ſicut & Chriſtus *b* ex villa afflictionis ad cœleſtia penetravit gaudia. Hactenus cœlum clauſum videbatur, & Paradiſus ſuperior *c* per romphæam rutilantem cuſtoditus, nunc victor Chriſtus cœlum aperit, ut nobis in cœleſtem patriam, unde excideramus, viam monſtraret. Stabant *d* diſcipuli ſublatis oculis cœlum intuentes, ita veri Chriſti diſcipuli cordis oculos ad cœleſtia contemplanda attollant. *e* O Domine JESU, quam glorioſa paſſionem tuam conſecuata eſt clauſula! quam felix hæc & quam ſubita mutatio! qualem te vidi patientem in monte Calvariæ, & qua-

(*a*) *Joh.* 4, 20. (*b*) *Luc.* 24, 26. (*c*) *Gen.* 3, 24. (*d*) *Act.* 1, 11. (*e*) *Grana. de vita Christi medit.* 1.

qualem te nunc conſpicio in monte oliveti ? ibi eras ſolus, hic multis Angelorum milibus comitatus : ibi aſcendebas in crucem, hic in nube aſcendis ad cœlum : ibi crucifigebaris inter latrones, hic exultas inter Angelorum choros : ibi clavis cruci affixus & damnatus, hic liber & damnatorum liberator : ibi moriens & patiens, hic gaudens & triumphans: Chriſtus *a* eſt caput noſtrum, nos ipſius membra : gaude igitur & exulta in aſcenſione capitis tui, fidelis anima ! *b* Gloria capitis, membrorum etiam gloria eſt : ubi caro noſtra regnat, ibi nos regnare credamus : ubi ſanguis noſter dominatur, ibi nos glorioſos futuros ſperemus, etſi peccata noſtra nos prohibeant, Naturæ tamen communio non repellit : Ubi caput eſt, ibi etiam reliqua membra erunt : caput noſtrum cœlum ingreſſum eſt, habent ergo æquisſimam ra-

(*a*) *Epheſ.* 5, 23. (*b*) *Maxi. de reſur.*





Ecce Leo frendit, Satanas sua spicu-
la vibrat:
Ut fidei clypeus me tueatꝫ,
age.

Man billig bebt, wann mir anhebt,
der Lewe hier zu brüllen:
Rett uns herr Christ und laß die list,
durch glaubens mussen stillen.

rationem de cœlo sperandi reliquia membra, non solum autem hoc, sed in cœlo jam possessionem accepere. *a* Descendit Christus de cœlo nos redemturus, ascendit vicissim ad cœlum nos glorificaturus: nobis natus est, nobis passus est, igitur & nobis ascendit. Christi passione nostra charitas, Christi resurrectione fides nostra, Christi ascensione spes nostra solidatur. Sequi autem debemus Sponsum nostrum non solum ardentibus desideriis, sed etiam operibus bonis; in *b* supernam illam civitatem non intrabit aliquid coinquinatum, in hujus rei signum Angeli ex cœlesti Hierosolyma venientes apparuerunt *c* amicti vestibus albis, quibus puritas & innocentia denotatur; *d* cum humilitatis magistro non ascendit superbia, nec cum bonitatis autore malitia, nec cum pacis amico

(*a*) *Euseb. Emiss. hom de Ascens. Bernh.* (*b*) *Apoc.* 21, 27, (*c*) *Actor.* 1, 1 (*d*) *Euseb. Emiss. l. d.*

discordia, nec cum filio virginis libido & luxuria: non ascendunt vitia post virtutum parentem, nec peccata post justum, nec infirmitates ire possunt post Medicum. Qui Deum coram aliquando intueri desiderat, is etiam digne in ejus conspectu vivat; qui cœlestia sperat, terrena contemnat: Trahe ad te corda nostra, bone JESU.

XXII.

HOMILIA DE SPIRITU SANCTO.

ELECTOS DEUS OBSIGNAT SPIRAMINE SANCTO.

Ascendens Dominus noster in cœlos, & intrans in gloriam suam, *a* misit discipulis Spiritum sanctum in ipso Pentecostes die. *b* Sicuti in Veteri Testamento DEUS legem promulgans in monte Sinai, ad ipsum Mosen

(*a*) *Act.* 2, 1. (*b*) *Exod.* 19, 3.

ſen deſcendabat: ita cum Evangelium per Apoſtolos in orbe terrarum propagandum, ipſe Spiritus ſanctus ad Apoſtolos deſcendabat: ibi tonitrua & fulgura & clangor buccinæ intenſiſſimus, quia lex contra inobedientiam noſtram detonat, & nos iræ divinæ reos arguit: hic vero ſonitus leniter ſtrepentis auræ, quia Evangelii concio conſternatas mentes erigit: ibi totius populi expaveſcentia atque terror, quia *a* lex iram operatur; hic vero tota multitudo confluit & mirabilia Dei audit, quia per Evangelium nobis ad Deum patet aditus: ibi Jehova deſcendit in igne, ſed in igne iræ & furoris, ideo mons commovebatur, & fumabat: hic vero deſcendit Jehova Spiritus ſanctus in igne, ſed in igne amoris & dilectionis, unde non commovetur domus divinâ irâ, ſed potius tota repletur Spiritus ſancti gloria. Quid mirum, ſi Spiritus ſanctus è cœleſti mittitur curiâ

 ad

(*a*) *Rom*, 4, 15.

ad sanctificandum, cum filius mis-
sus fuerit ad genus humanum libe-
randum? non prodesset Christi pas-
sio, nisi per Evangelium mundo fie-
ret annunciatio: quis enim usus
thesauri absconditi? ideo benignis-
simus Pater non solum magnum pa-
ravit beneficium per filii passionem,
sed etiam toti mundo illud offerri
voluit per Spiritus sancti missionem.
Fidelis mater tenello filio utraque præ-
bet ubera: fidelis Deus nobis mise-
ris & Filium & Spiritum sanctum mit-
tit. Venit autem Spiritus sanctus
super Apostolos, cum perdurarent
concorditer in oratione; *a* precum
enim Spiritus est, precibus impetra-
tur, & ad preces impellit, quare?
quia est vinculum illud, quo corda
nostra uniuntur cum Deo, sicut Fi-
lium unit cum Patre, & Patrem cum
Filio, est enim Patris & Filii mutu-
us substantialis amor: hæc spiritualis
nostri cum Deo conjunctio fit fide, fi-
des

(*a*) *Zach.* 11, 10.

des autem, donum Spiritus, impetratur precibus, ſed veræ preces fiunt in Spiritu. In templo Salomonis, cum Domino adoleretur incenſum, *a* gloria Domini templum replebatur: ita, ſi precum odoramenta offers Deo, templum cordis tui Spiritus ſancti replebit gloria. Miremur hic Dei miſericordiam & gratiam: *b* Pater exauditionem precum promittit: *c* Filius intercedit pro nobis: *d* Spiritus ſanctus orat in nobis: *e* Angeli preces noſtras ad Deum deferunt, atq; ita tota cœleſtis curia noſtris precibus eſt aperta. *f* Miſericors Deus dat orationis affectum, quia donat nobis Spiritum gratiæ & precum; dat etiam orationis effectum, quia preces noſtras ſemper exaudit; ſi non ad voluntatem noſtram, tamen ad utilitatem. Venit Spiritus ſanctus, cum omnes concorditer in eodem verſan-

(*a*) 1. *Reg.* 8, 11. (*b*) *Pſalm.* 50, 15. (*c*) *Rom.* 8, 34. (*d*) *Gal.* 4, 6. (*e*) *Tob.* 12, 12. (*f*) *Aug. Epiſt.* 105.

tur loco, nimirum eſt Spiritus charitatis & concordiæ; conjungit nos Chriſto per fidem, conjungit nobis Deum per charitatem, unit etiam nos cum proximo per dilectionem. Diabolus, diſcordiæ & ſeparationis autor, per peccata ſeparat nos à Deo: per odia, contentiones & rixas homines à ſe invicem ſeparat: ſed ſanctus Spiritus, ut in Chriſto divinam & humanam naturam mirabili ſua *a* obumbratione conjunxit, ita quoque ſuis donis in nos effuſis, & homines Deo, & DEUM hominibus conjungit. Quamdiu in homine manet Spiritus ſanctus ſua gratia & ſuis donis, tamdiu homo manet unitus Deo. Quamprimum homo per peccata excidit à fide & charitate, & Spiritum ſanctum excutit, ſeparatur à Deo, & tollitur beatiſſima illa unio. Qui Spiritum ſanctum habet, non odit fratrem: quare? quia per Spiritum particeps factus myſtici corporis Chriſti, cujus mem-

(*a*) *Luc.* 1, 35.

membra ſunt omnes pii, *a* quis vero unquam membra ſua odio habet? imo etiam inimicos ſuos diligit, qui Spiritu Domini regitur: quia *b* qui Domino adhæret, fit unus Spiritus cum eo, *c* jam vero Deus Solem ſuum oriri ſinit ſuper bonos & malos, & *d* nihil quicquam eorum, quæ fecit, odio habet: Qui Spiritum DEI habet, omnibus inſervire promptus eſt, omnibus pro virili benefacit, omnibus ſe utendum præbet, quia etiam Deus fons eſt omnis miſericordiæ & gratiæ erga omnes: jam vero Spiritus ſanctus tales motus in homine efficit, qualis ipſe eſt: ſicut anima corpus reddit animatum, ſentiens, mobile: ita Spiritus hominem efficit ſpiritualem, imbuit mentem ſuavitate dulcedinis divinæ & omnia membra ad obſequia Deo & proximo præſtanda dirigit: E cœlo factus eſt ſonitus ille, qui fuit Symbolum ve-

(*a*) *Eph.* 5,29. (*b*) 1. *Cor.* 6, 17. (*c*) *Matth.* 5, 45. (*d*) *Sap.* 11, 25.

nientis ſancti Spiritus, quia cœleſtis eſt Naturæ ſanctus ille Spiritus, nimirum ejusdem eſſentiæ cum Patre & Filio, à quo Patre & Filio ab omni æternitate procedit; efficit etiam homines cœleſtia cogitantes, & ea, quæ ſurſum ſunt; quærentes; qui terrenis adhæret, & amore ſuo mundo unitus eſt, ille nondum cœleſtis Spiritus particeps factus. Venit ſub flatus Symbolo, quia vivam conſolationem afflictis ſuppeditat; quia etiam reciproco flatu ac reſpiratione Spiritus aerei vivimus juxta carnem, ideo ſub Spiritus & flatus Symbolo advendabat, qui largitur, ut vivamus juxta meliorem noſtri partem. Ventus, *a* quo vult, ſpirat, & ſonum ejus audis, ſed neſcit, unde veniat & quo vadat; ita eſt omnis, qui genitus eſt à Spiritu, Congruenter etiam ſub flatus ſymbolo venit, qui à Patre & Filio una ſpiratione ab æterno procedit. *b* Vehemens erat flatus ille,

(*a*) *Joh.* 3, 8. (*b*) *Amb. lib.* 2. *in Luc. c.* 6.

ille, quia nescit tarda molimina Spiritus sancti gratia: *a* movet ille sanctus Spiritus pios, in quibus habitat, ad omne bonum, atque ita movet, ut nec Tyrannorum minas, nec Satanæ insidias, nec mundi odia curent. Confert Apostolis linguarum donum, quia *a* in omnem terram sonus ipsorum exire debebat, sicque *c* confusio linguarum, quæ pœna fuerat superbiæ & temeritatis in ædificanda turre Babylonis, sublata est, jamque dispersæ illæ gentes per diversitatem linguarum in unitatem fidei Spiritus sancti munere congregatæ sunt: congruenter sub linguarum figura venit, à quo *d* inspirati locuti sunt sancti Dei homines: qui in Apostolis locutus est, qui verba Dei ponit in os ministrorum Ecclesiæ. Pro tantis donis laudandus & benedicendus sanctus ille Spiritus cum Patre & Filio in seculum.

(*a*) *Rom.* 8, 14. (*b*) *Ps.* 19, 5. (*c*) *Gen.* 11, 7. (*d*) 2. *Petr.* 1, 21.

XXIII.

DE ECCLESIÆ DIGNITATE.

CHRISTI EST ECCLESIA SPONSA.

COgita, devota anima, quantum tibi præstitit DEUS beneficium, quod ad Ecclesiæ suæ te vocavit consortium. *a Una est dilecta mea*, dicit Sponsus in Cantico: vere una, quia una solum vera & orthodoxa Ecclesia, dilecta Christi Sponsa. Extra corpus Christi non est Spiritus Christi, *b* qui autem Spiritum Christi non habet, non est ejus: qui Christi non est, æternæ vitæ particeps fieri non potest *c* Extra arcam Noæ omnes perire cogebantur in diluvio: extra spiritualem arcam Ecclesiæ omnes æterno involvuntur exitio. *d* Non habebit Deum patrem in cœlis, qui non habet Ecclesiam matrem in his

(*a*) *Cant*.4,1.(*b*) *Rom*.8,9.(*c*) *Gen*. 7,11.(*d*)*Aug.l.4. de symb.c.*10.

his terris. Cogita, devota anima, quod ſingulis diebus multa animarum millia deſcendunt ad infernum, ideo, quod ſunt extra Eccleſiæ gremium: non ſeparavit te ab illis Natura, ſed ſola Dei miſerentis gratia. Cum *a* Ægyptus tenebris palpabilibus involveretur, apud ſolos Iſraelitas erat lux, ita ſola Eccleſia eſt lux divinæ agnitionis, qui ſunt extra Eccleſiam, à tenebris ignorantiæ in vita præſente, transeunt ad tenebras damnationis æternæ in vita ſequente: *b* qui non eſt portio Eccleſiæ militantis, nunquam erit portio Eccleſiæ triumphantis, hæc enim ſunt intime conjuncta: Deus, verbum, fides, Chriſtus, Eccleſia, & vita æterna. Sancta Dei Eccleſia eſt Mater, Virgo & Sponſa. *Mater* eſt, quia Deo quotidie ſpirituales generat filios: *Virgo* eſt, quia à Diaboli & mundi ſe integram ſervat complexibus: *Sponſa* eſt, quia Chriſtus eam ſibi deſponſavi

(*a*) *Ex.* 10, 21. (*b*) *D. Chem. in Ench. lo*

vit fœdere ſempiterno, eique arrham Spiritus dedit: Eccleſia eſt navis illa, *a* quæ Chriſtum & ejus diſcipulos vehit, ac ad portum felicitatis æternæ tandem nos perducit: navigat Eccleſia inſtructa fidei gubernaculo felici curſu per hujus ſeculi mare, habens Deum gubernatorem, Angelos remiges, portans choros omnium ſanctorum, erecta eſt in medio ipſa ſalutaris crucis arbor, in qua Evangelicæ fidei vela ſuſpenſa, quibus flante ſancto Spiritu ad ſecuritatem quietis æternæ deducitur. Eccleſia eſt *b* vinea illa, quam Deus in agro hujus mundi plantavit, ſanguine ſuo rigavit, ſepem Angelicæ prodectionis ei circumdedit, torcular paſſionis in ea conſtruxit, lapides & offendicula ex ea ſuſtulit. *c* Eccleſia eſt mulier illa amicta Sole; quia Chriſti juſtitia induta eſt; Lunam ſub pedibus calcat; quia

(*a*) *Matth.* 8, 23. *Chryſoſt. in Matth.* (*b*) *Matth.* 21, 33. *Eſa.* 5, 2. (*c*) *Apoc,* 21, 1.

quia terrena, variis obnoxia mutationibus, despicit. Considera summam hanc Ecclesiæ dignitatem, devota anima, & debitas Deo gratias age. Magna quidem in Ecclesia sunt DEI beneficia, sed ea non sunt omnibus obvia; est *a* hortus conclusus, & fons signatus: nemo pulchritudinem horti conclusi videt, nisi qui in eo est: sic nemo summa hæc in Ecclesia beneficia agnoscit, nisi qui & ipse in ea est. *b* Nigra est exterius hæc Christi Sponsa, sed formosa interius; *c* omnis enim gloria Filiæ Regis est ad intra. Navis *d* hæc variis persecutionum concutitur tempestatibus: vinea *e* hæc ligata erigitur, & recisa augetur: *f* mulieri huic ipse infernalis Draco variis modis insidiatur. Pulchrum *g* est Ecclesia lilium, sed tamen inter spinas.

a Hor-

(*a*) *Cant.* 4, 12. (*b*) *Cant.* 1, 5. (*c*) *Ps.* 45, 14. (*d*) *Matth.* 8, 24. (*e*) *Joh.* 15, 2. (*f*) *Apoc.* 12, 7. (*g*) *Cant* 2, 1.

a Hortus pulcherrimus eſt Eccleſia, ſed quando Aquilo tribulationum eum perflat, tunc demum fluunt aromata illius. Dei Filia eſt Eccleſia, ſed mundo admodum exoſa, cœleſtem expectat hæreditatem, igitur cogitur in hoc mundo peregrinari, in peregrinatione premitur, in presſione ſilet, in ſilentio fortis eſt, in fortitudine vincit. Mater ſpiritualis eſt Eccleſia, *b* ſed cogitur ſtare ſub cruce, ſicut etiam Maria, ex qua Chriſtus in hunc mundum natus, ſub cruce ſtabat. Eccleſia eſt Palma, quia ſub pondere tribulationum ac tentationum magis creſcit. Cogita, devota anima, Eccleſiæ dignitatem, & cave quicquam ea indignum committas. Mater eſt Eccleſia, cave igitur, ne vocem ejus contemnas: mater eſt, ſemper igitur ab ipſius pendere debes uberibus. Eccleſiæ ubera ſunt verbum & ſacramenta: virgo eſt Eccleſia,

(*a*) *Amb. l.* 9. *in Luc, c.* 10. (*b*) *Joh.* 19, 25.





Non fert dissectus ceu palmes ab arbore fructum:
Sic nisi des succum, nil quoq; CHRISTE, feram.

Hilff daß ich verbleibe HERR JESU am leibe,
So bring ich dir frucht,
Der Weinstock muß gebē die kräffte den rebē,
sonst sind sie verflucht.

ſia, ſi ergo verus es ejus filius, à mundi abſtine complexibus: membrum es Virginis Eccleſiæ, vide ne virginea membra proſtituas, & cum Diabolo per peccata ſcorteris: Sponſa Chriſti eſt Eccleſia, & omnis devota anima, caveat ergo, ne Satanæ adhæreat: Sponſa Chriſti es, vide, ne arrham Spiritus Sancti tibi datam amittas: Sponſa Chriſti es, aſſiduis ora precibus, ut properet Sponſus, & ad nuptias cœleſtes te introducat: veniet autem Sponſus *a* in ſecuritatis nocte, vigila ergo, ne cum venerit Sponſus, inveniat te dormientem, & januam ſalutis æternæ tibi præcludat: luceat oleum fidei tuæ, ne in adventu Sponſi cogaris fruſtra id deſiderare. Veheris in navi, vide, ne in mundi mare te præcipites, antequam ad portum pervenias: veheris in navi, *b* precare, ne tempeſtatibus afflictionum & ductibus tentationum abſorbearis. In vineam Do-

(*a*) *Matth.* 25, 10. (*b*) *Matth.* 8, 25.

Domini *a* vocatus es, vide, ut ſtrenue labores: conſideratio denarii minuat labores diei: vinea Domini es, abjice inutilia ſarmenta, infrugifera carnis opera, totum vitæ tempus æſtima eſſe putationis tempus: *b* palmes es in vera vite Chriſto, vide, ut in eo maneas & fructum feras multum, quia palmitem non ferentem fructum cœleſtis agricola tollet, & ferentem fructum purgabit, ut copioſiorem ferat: *c* induiſti Chriſtum per fidem, & *d* Sole hoc juſtitiæ amictus es, vide, *e* ut Lunam, id eſt, omnia terrena ſub pedibus calces, atque omnia reſpectu æternorum bonorum parvi æſtimes. O bone Jeſu, qui nos duxiſti in Eccleſiam militantem, deduc aliquando etiam ad triumphantem.

(*a*) *Matth.* 20, 1. (*b*) *Joh.* 15, 1. (*c*) *Gal.* 3, 27. (*d*) *Mal.* 4, 2. (*e*) *Apoc.* 12, 1.

XXIV.
MEDITATIO DE PRÆDESTINATIONE.
IN CHRISTO ELECTIO FACTA.

QUoties devota anima cogitare vis de prædestinatione tua, aspice Christum in cruce pendentem, *a* pro peccatis totiꝰ mundi morientem, propter justitiam nostram resurgentem. Incipe à Christo jacente in præsepio, sic demum recto ordine procedet tua de prædestinatione disputatio. *b* Elegit nos Deus ante jacta mundi fundamenta, sed tamen in Christo est electio facta: si ergo es in Christo per fidem, ne dubites, ad te quoque pertinere electionem: si firma cordis fiducia adhæres Christo, ne dubites, te esse in electorum numero. *c* Si vero a priori extra limites verbi vis scrutari profundum prædestinationis, metuendum valde, ne cadas in

(*a*) *Rom.* 4. *ult.* (*b*) *Eph.* 1,4. (*c*) *August. serm.* 7. *de verb. Apost.*

in profundum deſperationis. Extra Chriſtum Deus eſt *a* ignis conſumens, cave ergo, ne huic igni appropinques, ne coſumaris. Extra Chriſti ſatisfactionem Deus voce legis ſuæ accuſat omnes, damnat omnes; cave ergo, ne ex lege prædeſtinationis myſterium haurias. Non inquiras omnes conſiliorum divinorum rationes; ne te multum ſuducant tuæ cogitationes; *b* habitat Deus in luce inacceſſibili, ad eam ne coneris temere progredi; ſed tamen revelavit nobis Deus lucem Evangelii, in hac tute inquirere poteris doctrinam hujus ſecreti, *c* in hoc lumine videbis verum lumen. Relinque æterni hujus & ab æterno facti decreti profunditatem, & converte te ad manifeſtationis in tempore factæ claritatem; juſtificatio facta in tempore ſpeculum eſt electionis factæ ſine tempore. *d* Agnoſce ex lege iram Dei

(*a*) *Deut.*4,24.(*b*) 1.*Tim.*6,16,(*c*)*Pſ.* 36,10.(*d*) *D.Luth. in præf. Ep.ad Rom.*

Dei propter peccata, & age pœnitentiam; agnosce ex Evangelio misericordiam Dei propter Christi meritum, & applica tibi per fiduciam; agnosce fidei Naturam, & ostende eam per conservationem piam; agnosce in cruce castigationem paternam, & sustine per patientiam: tunc demum incipe tractare prædestinationis doctrinam. Hanc methodum ostendit Apostolus, hanc methodum sequatur verus Apostoli discipulus. Tria sunt, quæ in hoc mysterio semper observanda: Misericordia Dei diligentis: meritum Christi patientis; gratia Spiritus sancti per Evangelium vocantis. Universalis est Dei misericordia, quia totum mundum dilexit: *a* misericordia Domini plena est terra, imo major est cœlo & terra, *b* tanta enim est, quantus Deus ipse, quia *c* DEUS est charitas: testatus *d* est in verbo suo

(*a*) *Ps.*33,5. (*b*) *Eccles.*2,23. (*c*) 1. *Joh.* 4,8. (*d*) *Ezech.*33,11.

ſuo, ſe nullius mortem velle: ſi pa-
rum hoc eſt, etiam juramento con-
firmavit: *a* ſi non potes credere Deo
promittenti, crede ſaltem pro ſalute
tua juranti: Vocatur pater miſeri-
cordiarum; quia ei proprium eſt mi-
ſereri & parcere: *b* miſerendi cau-
ſam & originem ſumit ex proprio ju-
dicandi, vel ulciſcendi magis ex alie-
no, ut longe aliter de corde ipſius
miſeratio, quam animadverſio pro-
cedere videatur: Univerſale etiam
eſt meritum Chriſti, *c* quia pro to-
tius mundi peccatis paſſus. Quid
ergo miſericordiam Dei probaret a-
pertius, quam quod dilexit nos,
cum nondum eſſemus, quia dilectio-
nis eſt, quod creati ſumus: dilexit
inſuper, *d* cum averſi eſſemus, quia
dilectionis eſt, quod Filium redem-
torem nobis dedit: Peccatori tor-
mentis æternis adjudicato, & unde ſe
redi-

(*a*) *Hieron. Epiſt.* 46. (*b*) 2. *Cor.* 1, 3. *Bern. ſer.* 5. *in nat. Dom.* (*c*) 1. *Joh.* 2, 2. (*d*) *Rom.* 5, 8.

redimat non habenti, Deus Pater dicit: *Accipe unigenitum meum, & da pro te:* ipse Filius dicis: *tolle me, & redime te.* *a* Flos campi, non flos horti est Christus, quia odor gratiæ ipsius non est quibusdam clausus, sed omnibus apertus: &, ne dubites de universalitate meriti, *b* orabat Christus patiens pro crucifigentibus se, & sanguinem ejus fundebat pro illis, qui sanguinem fundebant ipsi. Universales etiam sunt Evangelii promissiones, quia omnibus dicit Christus: *c Venite ad me omnes, qui laboratis.* Quod pro omnibus præstitum, omnibus etiam offertur: quantum in his bonis pedem fiduciæ porrexeris, tantum etiam obtidebis: *d* nemini DEUS suam denegat gratiam, nisi qui seipsum indignum ea existimat: Considera ergo, fidelis anima, hæc tria prædesti-

(*a*) *Cant.* 2, 1. *Jac. de Vorag. in Eb.* (*b*) *Luc.* 23, 34. (*c*) *Matth.* 11, 28. (*d*) *Bernh. serm.* 31. *in Can.*


ſtinationis fulcra, & firma cordis tui eis innitere fiducia: conſidera præterita miſericordiæ divinæ beneficia, & de finali non dubitabis perſeverantia. Quando nondum eras, creavit te Deus: quando per Adami lapſum damnatus eras, redemit te: quando extra Eccleſiam in mundo vivebas, vocavit te: quando ignorabas, inſtruxit te: quando errabas, reduxit te: quando peccabas, correxit te: quando ſtetiſti, tenuit te: quando cecidiſti, erexit te: quando iviſti, duxit te: quando ad ipſum veniſti, ſuſcepit te: *a* affuit ibi in expectando longanimitas, & in condonando facilitas: miſericordia Dei præcedit te, firmiter ſpera, quod *b* etiam ſubſequetur: *c* prævenit te miſericordia Dei, ut ſaneris, ſubſequetur etiam, ut glorificeris? prævenit te, ut

(*a*) *Idem in Pſ.* 116. *Theol. Myſt. Harp. l.* 1. *c.* 1. (*b*) *Pſ.* 22, 6. (*c*) *Aug. de nat. & gra. c.* 23. *Saban. in Pſ.* 31.



Christe præis cruciger sumus; fac sponte sequamur:
nam malus est miles post TUA terga gemens.

Hilff dass ich dir Herr mein Begiehr hier folge steis in Leiden.
So werd ich Theil bey dir mein Heil auch haben dort in Freuden.



ut pie vivas, ſubſequetur etiam, ut in æternum cum illo vivas: quare cadens non es contritus? quis ſuppoſuit manum? quis niſi Dominus? confide ergo etiam in poſterum in Dei miſericordia & *a* finem fidei, ſalutem æternam, firmiter ſpera. In quibus enim manibus ſalutis tuæ materia tutius conſiſtat, quam in iis, quæ *b* cœlum condiderunt & terram, in iis, *c* quæ nunquam abbreviantur, in iis, *d* quæ affluunt miſericordiæ viſceribus, nec deſunt foramina, per quæ affluant.

Cogita autem, devota anima, quod à DEO electi ſumus, *e* ut eſſemus ſancti & irreprehenſibiles: in quibus ergo non eſt ſanctæ vitæ ſtudium, ad illos non pertinet electionis beneficium; electi *f* ſumus in Chriſto, in Chriſto ſumus per fidem, *g* fides ſe exerit per dilectionem: ubi ergo non eſt

Pet. 1, 9. (*b*) *Eſa*. 66, 2. (*c*) *Eſ*.
(*a*) 1) *Bernh. in Pſ*. 31. (*e*) *Eph*. 1, 4.
9, 1. (*d* (*g*) *Gal*. 5, 6.
(*f*) [illegible]

eſt dilectio, ibi nec fides: ubi non eſt fides, ibi nec Chriſtus: ubi non eſt Chriſtus, ibi nec electio: *a* firmum quidem ſtat fundamentum Dei, habens ſignaculum hoc, dominus novit, qui ſunt ſui; ſed tamen diſcedat ab injuſtitia, qui invocat nomen Domini: *b* oves Chriſti nemo rapiet ex ipſius manu, ſed tamen oves Chriſti audiant etiam ipſius vocem, *c* domus Dei ſummus, ſed fiduciam & gloriam ſpei usque ad finem firmam retineamus. O Domine *d* qui dediſti velle, da etiam perficere!

(*a*) 2. *Tim.* 2, 19. (*b*) *Joh.* 10, 27. 28. (*c*) *Hebr.* 3, 6. (*d*) *Phil.* 2, 13.

XXV.

DE SALUTARI PRECUM EFFICACIA.

PENETRANT SUSPIRIA COELUM.

MAximum hoc eſt DEI beneficium, quod familiare precum piarum requirit alloquium: ipſe do-

nat



Fel mihi sit mundus, Tu mel, suavissime JESU: namq; Tuum nomen Nectar & Ambrosia est.

Lieb Herr Jesu, das ich hier suche stetig speise,
Hilff dass nie mein hertz von dir Einige wollust reise.



nat orationis affectum, *a* ipse etiam donat orationis effectum. Magna vis orationis, quæ in terra funditur, sed in cœlo operatur: oratio justi clavis est cœli, ascendit precatio, *b* & descendit Dei liberatio: *c* oratio est salutare scutum, quo omnia adversarii tela repelluntur. *d* Moses cum extendebat manus suas, prævalebat Israel contra Amalecitas; si ad cœlum extendes manus tuas, non prævalebit tibi Satanas. Sicut hosti opponitur murus, ita Dei ira sanctorum frangitur precibus. *e* Ipse Salvator noster orabat non propter aliquam necessitatem; sed ut precum nobis commendaret dignitatem. *f* Oratio census est nostræ subjectionis, quia præcipit nobis DEUS, ut preces velut spirituale quoddam tributum quoti-

(*a*) *Aug.Ep.* 105. (*b*) *Aug. serm.* 226. *de tem.* (*c*) *Amb. Eph.* 6, 16. (*d*) *Exod.* 17, 11. (*e*) *Hieronym. in Ezech. cap.* 21. (*f*) *Rob. Holkot. lect.* 139. *in lib. Sap. Naz. orat. ad Eun.*

die ei offeramus: est scala nostræ ascensionis, quia nihil aliud est oratio, quam quædam mentis ad Deum peregrinatio: est scutum nostræ defensionis, quia anima hominis viventis in precibus tuta est â Dæmonum insultibus: est nuncius fidelis legationis, quia ad thronum Dei ascendit oratio, & ad ferendum auxilium eum invitat: *a* hic nuncius fine suo nunquam frustratur, semper enim exaudit nos Deus, si non ad nostram voluntatem, tamen ad utilitatem & salutem: unum indubitanter è duobus sperare possumus, aut dabit id, quod petimus, aut illud, quod novit utilius. Dedit DEUS Filium suum, donum illud excellentissimum, non rogatus, quid faciet rogatus? nec de Patris exauditione, nec de Filii intercessione dubitare possumus; in qualibet causa per preces *b* cum Mose intres in tabernaculum ad consulendum

(*a*) *Bernh. ser. de triplici modo orandi.* (*b*) *Num.* 7, 89. *Kemp. lib.* 3. *de imit. Christi* 6, 8.

dum Dominum, & cito audies divinum responsum; *a* Christus cum oraret transfigurabatur; ita in oratione magnæ fiunt in anima mutationes, quia lumen animæ est oratio, quæ sæpius eum, quem invenit desperantem, relinquit exultantem: *b* qua fronte solem intueris, nisi prius adoraveris eum, qui lumen illud dulcissimum oculis tuis mittit? quo pacto frueris mensa, nisi prius adoraveris eum, qui tantum bonum largitur ac suppeditat? qua spe trades teipsum nocturno tempori, nisi te præmunieris orando? quem fructum sperare poteris ex laboribus tuis, nisi prius adoraveris eum, sine quo labor omnis inutilis? Si ergo dona spiritualia aut corporalia desideras, *c* pete & accipies: si Christum desideras, per preces quære & invenies: *d* si ostium di-

(*a*) *Luc.* 9, 29. (*b*) *Bernh. ser.* 32. *in Can. Chrisostom. lib.* 1. *de orand.* (*c*) *Matth.* 7, 7. (*d*) *Bernh. in lib. allegor. Eb.* 17, 2.

divinæ gratiæ & ſalutis æternæ aperiri tibi deſideras, per preces pulſa, & aperietur tibi: ſi in deſerto hujus mundi ſitis tentationum & penuria bonorum ſpiritualium te affligit, accede ad *a* petram ſpiritualem, quæ eſt Chriſtus, per devotionem, eamque percute virga orationis, & ſenties, quod fluenta divinæ gratiæ reſtinguant ſitim tuæ penuriæ. Vis gratum Deo exhibere ſacrificium? offer preces, *b* ſentiet Deus odorem ſuavitatis & ceſſabit ipſius ira. Vis aſſidue cum Deo verſari? preces ama, *c* quæ ſunt ſpirituale Dei & devotæ animæ colloquium? Vis *d* guſtare quam ſuavis ſit Dominus? invita precibus Dominum ad cordis tui domicilium. *e* Placet Deo oratio, ſed debito modo inſtituta; qui ergo exaudiri deſiderat, is oret ſapienter, ardenter, humiliter, fideliter, perſeveran-

(*a*) 1. *Corinth.* 10, 4. (*b*) *Gen.* 8, 21. (*c*) *Cypr. lib.* 2. *Ep.* 2. (*d*) *Pſ.* 34, 9. (*e*) *Anſh. l. de menſurat. crucis.*

ranter, & confidenter. Oret *sapienter*, ut scilicet oret ea, quæ divinæ gloriæ & proximorum saluti serviunt. Omnipotens est DEUS, ergo non statuas ei in precibus modum: sapientissimus est, ergo non præscribas ordinem: non temere prorumpant, sed fidem præeuntem sequantur, fides autem respicit verbum, quæ ergo absolute Deus in verbo promittit, absolute ores: quæ cum conditione promittit, ut temporalia, ea itidem cum conditione ores: quæ nullo modo promittit, ea etiam nullo modo ores: sæpe Deus dat iratus, quod negat propitius: sequere ergo Christum, *a* qui suam voluntatem plene Deo resignat. Ores *ardenter*, quomodo enim requirere potes, ut Deus te audiat, cum te ipsum non audias? Deum tui memorem esse vis, cum tui memor non sis?

(*a*) *Matth.* 26, 39. & 44. *Bernh. in med. devot. cap.* 8. *ex Aug.*

Cum orare vis, *a* intra in cubiculum tuum & fores claude: cubiculum est cor tuum, in illud debes intrare, si vis debito modo orare: fores ejus debes occludere, ne mundanorum negotiorum cogitationes te possint turbare: non sunt voces ad aures Dei, nisi animi affectus: mens ardore cogitationis ita debet esse incitata, ut totum longe superet, quod lingua exprimit, atque hoc est *b* Spiritu & veritate adorare, quod requirit Dominus. Christus *c* orabat in monte, & *d* oculos ad cœlum levabat: ita mentem ab omnibus creaturis aversam ad Deum debemus convertere: injuriam Deo facis, si precaris eum, ut ibi intendat, tu vero tibi ipsi non intendas: *e* indesinenter orare possumus, si in Spir. oremus, ut scil. mens nostra sanctis de-

(*a*) *Matth.* 6, 6. *Aug. in Ps.* 33. *conc.* 3. *Idem de catheh. rud.* 5, 9. (*b*) *Joh.* 4, 23. (*c*) *Luc.* 6, 12. (*d*) *Joh.* 17. 1. (*e*) 1. *Thes.* 5, 17.

desideriis semper ad Deum vigilet. Non semper clamore opus est, quia Deus etiam suspiria cordis audit, cum habitet in piorum cordibus: non semper opus est, multis verbis, quia etiam cogitationibus nostris interest: unus interdum gemitus à Spir. S. excitatus, & in Spiritu Deo oblatus gratior est Deo, quam prolixæ precum recitationes, ubi lingua loquitur, sed cor plane mutum est. Oret *humiliter*, ut non de suo merito, sed tantum de gratia DEI confidat, *a* si preces nostra nituntur dignitate, damnatæ sunt, etiamsi præ devotione cor sanguinem exsudaret, nemo placet Deo, nisi in Christo, ergo etiam nemo recte orat, nisi per Christum & propter Christum: *b* non placebant Deo sacrificia, quæ non offerebantur in unica illa tabernaculi ara: non placet Deo oratio, quæ non in hac unica ara Christo offertur: Israelitis *c* precum exaudi-

 tio

(*a*) *D.Luth. Domin. Regat.* (*b*) *Deut.* 12, 5. (*c*) 1. *Reg.* 7, 44.

tio promiſſa eſt, ſi facie ad Hieroſolymam verſa orarent, ſic in precibus ad Chriſtum, *a* qui eſt templum divinitatis, nos convertamus. Chriſtus in paſſione oraturus, *b* abjicit ſe in terram, vide, quomodo ſanctiſſima illa anima humiliet ſe coram majeſtate divina. Oret *fideliter*, ut ſe offerat ad omnis gaudii carentiam, & omnis pœnæ patientiam: *c* quanto quis orat citius, tanto utilius: quanto ſæpius, tanto utilius: quanto ferventius, tanto Deo acceptius. Oret *perſeveranter*, quia cum tardius dat Dominus, commendat dona, non negat: deſiderata diutius, obtinentur dulcius. Oret *confidenter*, ut ſcilicet poſtulet in fide, nihil hæſitans. O clementiſſime DEUS, qui orare nos juſſiſti, da ut etiam recte oremus!

(*a*) *Joh.* 2, 19. 21. (*b*) *Marc.* 14, 55. (*c*) *Anſh. l. d. Kemp. hort. roſar. c.* 12. *Auguſt. ſer.* 1. *de verb. Dom.*



*Fac ut perpendam, quid sim, postquam a futu:
tempora quidq; ego sim: pulvis et umbra.
nihil.*

Hilff HErr JEsu daß ich auch
möge stets betrachten,
daß ich sey Staub, Erd, ein Rauch,
drumb mich nicht selbst achten.



XXVI.

DE SANCTORUM ANGELORUM CUSTODIA.

SANCTIS SACER ANGELUS ASTAT.

COgita, devota anima, quanta ſit divina gratia, quod Angelorum tibi conſtituta eſt cuſtodia? Cœleſtis Pater Filium ſuum mittit ad nos liberandos, Filius Dei incarnatus ad nos ſalvandos, Spiritus S. mittitur ad nos ſanctificandos, Angeli mittuntur ad nos protegendos, ſic ergo tota cœleſtis curia nobis quaſi inſervit, & ſua ad nos traducit beneficia: non miror amplius, quod omnes creaturæ inferiores propter hominem conditæ, cum ipſi Angeli, qui longe digniores creaturæ, ſua non denegent nobis miniſteria. Quid mirum eſt, quod *cœlum* miniſtrat nobis lucem in die, ut laboremus, tenebras nocte, ut quieſcamus, cum ipſi cœleſtis regni incolæ nobis miniſtrent? Quid mirum, quod *aer* vitalem nobis

bis præbeat flatum, & omne genus avium ad obſequium, cum cœleſtes Spiritus vitæ noſtræ conſervandæ invigilent? Quid mirum, quod *aqua* det potum, ſordes purget, arentia riget, & varia piſcium genera præbeat, cum nobis æſtu calamitatum & tentationum defatigatis ipſi Angeli præſto ſint, ut recreent? Quid mirum, quod *terra* nos portet, pane & vino nutriat, omnibus generibus fructuum & animalium menſas noſtras repleat: cum Angelis *a* mandatum ſit, ut cuſtodiant nos in omnibus viis, in manibus nos portent, ne forte impingat ad lapidem pes noſter? Sollicitierant Angeli de Chriſto, *b* quia Angelus ejus conceptionem nunciat: *c* Angelus ejus nativitatem manifeſtat, *e* [illegible]gelus in Ægyptum fugere manu[illegible] *e* Angeli ſerviunt ei in deſerto, Angeli ei miniſtrant in toto præ-

(*a*) *Pſ.* 91, 11. (*b*) *Luc.* 1, 31. (*c*) *c.* 2, 9. 10. 11. (*d*) *Matth.* 2, 13. (*e*) *c.* 4, 11.





Per mundi fraudes, per ſesquae tesqua malorum
est mihi migrandum. Duc, bone Christe, juva.

Ach laß, Herr Christ, zu ieder frist
nach deinem wort mich gehen,
So werd ich nicht, wann mich anficht
der Teuffel, hülfloß stehen.

prædicationis miniſterio, *a* Angelus ei adeſt in mortis agone, *b* Angelus apparet in ipſius reſurrectione, *c* Angeli præſto ſunt in aſcenſione, *d* aderunt Angeli in futura ad judicium reverſione. Ut ergo Chriſto in diebus carnis ſuæ inſervierunt Angeli, ita quoque ſolliciti ſunt de omnibus illis, qui per fidem Chriſto ſunt incorporati: quomodo inſervierunt capiti, eo modo inſerviunt etiam membris: gaudent inſervire illis in terris, quos aliquando ſocios habebunt in cœlis: non renuunt illorum miniſteria, quorum dulciſſima aliquando ſperant conſortia. *e* Jacobo in via ad patriam apparent Angelorum caſtra: ſic piis in hac vita, quæ eſt ad cœleſtem patriam via, Angelici cuſtodes adduntur. *f* Danielem inter medios leones Angeli protegunt, ſic ab inſidiis infernalis leonis omnes pios

(*a*) *Luc.*22, 43.(*b*) *Matth.*28,2.& 5. (*c*) *Act.* 1, 10.(*d*) *Matth.*25, 31.(*e*)*Gen.* 32, 1.(*f*) *Dan.* 6, 22.

pios tutos præstant. *a* Angeli Lothum ex Sodomorum eripiunt incendio, sic sanctis inspirationibus & contra Diabolicas tentationes protectionibus ex infernalibus flammis sæpius nos eripiunt. *b* Lazari animam in sinum Abrahæ deportant Angeli, sic omnium electorum animas transferunt ad palatium cœlestis regni. *c* Petrum ex carcere educit Angelus, sic ex præsentissimis pios sæpe eripit periculis. Magna quidem est adversarii nostri Diaboli potentia, sed erigat nos Angelorum custodia: nec dubites in omnibus periculis hos auxiliatores tibi adesse, quia scriptura sub figura *d* Cherubim & Seraphim alatos eos depingit, ut certe statuas, incredibili celeritate ad ferendum auxilium eos præsto futuros: *e* ne dubites, in omnibus locis hos protectores tibi

(*a*) *Gen.* 10, 15. (*b*) *Luc.* 16, 22. (*c*) *Actor.* 12, 7. (*d*) *Ex.* 25, 18. *Esa.* 6, 2. (*e*) *Hier. in c.* 6. *Esa. Bernh. hom.* 3. *supermissus est.*

tibi adesse, quia sunt subtilissimi Spiritus, quibus nullum obsistit corpus; cuncta illis cedunt visibilia, cuncta æque corpora, quantumlibet solida vel spissa, penetralia eis sunt ac pervia: ne dubites pericula & afflictiones tuas hos Spiritus scire, quia *a* semper vident faciem cœlestis Patris, & ad omnia promptissime ei præsto sunt ministeria: Cogita etiam, devota anima, sanctos esse hos Angelos, sanctitati ergo studeas, si eos vis habere socios: morum similitudo maxime conciliat amicitiã, sanctis assuesce actionibus, si Angelorum desideras custodiam. *b* In omni loco atque angulo reverentiam exhibe tuo Angelo, neque præsente eo facias, quæ in conspectu hominis facere erubescis. Casti sunt hi spiritus, igitur spurcis abiguntur actionibus: *c* Apes expellit fumus, columbas fœtor; sic vitæ custodes Angelos fu-

(*a*) *Matth.* 18.10. (*b*) *Bernh. ser.* 12, *in Ps.* 91. (*c*) *Basil. in Ps.* 33.

gat lachrymabile & graveolens peccatum? amiſſis per peccata his præſidiis quomodo tutus eris Diabolorum inſidiis? deſtitutus Angelorum protectione, quomodo tutus eris á periculorum variorum incurſione? ſi anima tua caret muro angelicæ defenſionis, facile expugnabit eam Dæmon fallacia pravæ ſuaſionis. *a* A Deo ad miniſteria ſancti illi Angeli mittuntur, reconciliandus ergo prius es Deo per fidem, ſi Angelum vis habere cuſtodem: ubi non eſt Dei gratia, ibi quoque non eſt Angelorum cuſtodia. Intueamur Angelos tanquam ſalutares quasdam Dei manus, quæ nullum ad opus niſi ipſo dirigente ſe moveant. *b* Gaudium eſt in cœlo coram Angelis ſuper uno peccatore reſipiſcente: lachrymæ pœnitentium peccatorum ſunt quaſi vinum Angelorum; cor autem impœnitens fugat cuſtodes Angelos: agamus ergo pœnitentiam, ut angelis ex-

(*a*) *Heb.* 1, 14. *D. Luth. in c.* 2. *Hebr.*
(*b*) *Luc.* 15. 10.

excitemus lætitiam. Cœleſtis & ſpiritualis naturæ ſunt Angeli, cœleſtia ergo & ſpiritualia cogitemus, ut nobis adeſſe eis volupe ſit: humiles ſunt Angeli, & ſuperbia penitus eis exoſa, *a* qui etiam tenellis pueris inſervire non erubeſcunt; *b* quid ergo ſuperbit terra & cinis, cum tantopere ſe humiliet Spiritus cœleſtis? In morte metuenda potiſſimum Dæmonis aſtutia, quia *c* ſcriptum eſt, quod ſerpens inſidietur calcaneo, extrema pars corporis calcaneus eſt, extremus vitæ tuæ terminus: in ultima iſta mortis agonia maxime neceſſaria eſt Angelorum cuſtodia, qui ab ignitis Diaboli telis liberent, & animam corporis domicilio agreſſam ad cœleſtem Paradiſum deportent. Cum *d* Zacharias in templo ſacro fungeretur miniſterio, Angelus Domini ad ipſum veniebat: ſic etiam ſi verbi & precum gaudes exercitio, Angelorum

(*a*) *Matth.* 18, 10. (*b*) *Eccleſ.* 10, 9. (*c*) *Gen.* 3, 15. (*d*) *Luc.* 1, 11.

quoque gaudere poteris patrocinio. O clementissime DEUS, qui per sanctos Angelos deducis nos per hujus vitæ eremum, da, ut per eosdem deducamur ad cœleste regnum!

CAP. XXVII.

DE INSIDIIS DIABOLICIS.

QUIS NORIT DÆMONIS ASTUS?

COgita, fidelis anima, in quanto verseris periculo, quod semper tibi impendet à Diabolo tuo adversario: hostis ille est audacia promtissimus, viribus robustissimus, artibus callidissimus, machinis omnibus refertissimus, pugnandi studio insatigabilis, in omnes formas variabilis. *a* In varia crimina ipse illicit, & postquam illexit, coram tribunali DEI nos accusat, DEum apud homines, homines apud Deum, & homines inter se invicem accusat.

(*a*) *Lact. l.2.c.8. Chrys. hom. 2. in 2. Cor. Camer. part. 2. medit. Hist. cap. 17.*

nius cujusqve propensionem exacte prius perspicit, & postea laqueos tentationum opponit: quemadmodum in oppugnationibus non ad firmas & munitas partes accedunt oppugnatores, sed ubi æstimant muros esse fluxos, fossas planiores, & turres incustoditas; sic perpetuo animam hominis oppugnans Diabolus id primum adoritur, quicquid senserit molle & affectum in animo. Semel victus non penitus cedit, sed ad tentandum fortius insurgit, ut vincat eos tædio & negligentia, quos vincere non potuit tentationum violentia. A quo dolos suos iste contineat, *a* qui ipsum majestatis Dominum ausus est calliditatis suæ fraude aggredi? à quo Christiano is abstineat, qui *c* ipsos Christi Apostolos expetiit cribrare sicut triticum? *c* decepit Adamum in Natura instituta, quos non poterit decipere in natura

(*a*) *Matth.* 4, 3. (*b*) *Luc.* 2, 31. (*c*) *Gen.* 3, 2. 3. 4. 5.

restituta ? decepit Judam in schola Salvatoris, quos non poterit decipere in mundo , schola erroris : in omnibus omnino diabolicæ metuendæ sunt insidiæ. In prosperis invitat nos ad animi elationem; in adversis invitat ad desperationem. Si parsimonia aliquem videt delectari, eum inexplebilis cupiditatis compedibus gaudet illigari; si quem heroicus spiritus animat, eum iratum stimulis inflammat; si quem videt paulo lætiorem, eum ad insanæ libidinis incitat fervorem; quos videt ferventes in religione , eos implicare conatur vana superstitione; quos videt constitutos in dignitatibus, eos ambitionis percellit facibus ; cum impellit ad peccata, amplificat Dei misericordiam; cum in peccata præcipitavit , amplificat Dei Justitiam; prius perducere vult ad præsumtionem, postea ducere conatur ad desperationem. Interdum oppugnat externe persecutionibus ; interdum op-

oppugnat interne ignitis tentationibus; interdum nos oppugnat aperte & violenter, interdum occulte & fraudulenter: *a* In commestione posuit gulam, in generatione luxuriam, in exercitatione ignaviam, in conversatione invidiam, in gubernatione avaritiam, in correctione iram, in dignitate superbiam, in corde posuit cogitationes malas, in ore posuit locutiones falsas, in membris operationes iniquas, in vigilando movet ad prava opera, in dormiendo ad somnia turpia. Sic ergo ubique & in omnibus Diaboli cavendæ sunt insidiæ. Dormimus nos, & ipse vigilat: securi nos sumus, & ille *b* tanquam leo circumit: Si leonem irritatum in te impetum facere conspiceres, quam vero timore cohorresceres, & cum infernalem leonem tibi insidiari audias, in utramque aurem adhuc secure dormitas? Considera ergo, fidelis ani-

 ma,

(a) Bernh. ser. 3. de. sept. pan. Aug. n quod serm (b) 1. Pet. 5. 8.

ma, potentiſſimi hujus hoſtis inſidias, & ſpiritualium armorum quære ſuppetias. Sint *a* lumbi cincti veritate, & induti lorica juſtitiæ: Indue perfectam juſtitiam Chriſti, & tutus eris à tentationibus Diaboli: *b* abſconde te in foramina vulnerum Chriſti, quoties terreris jaculis ſerpentis hujus maligni: Vere credens eſt in Chriſto: ut ergo *c* nihil juris habet Satanas in Chriſtum: ita etiam nil juris habet in vere credentem. *d* Calceati ſint pedes in præparatione Evangelii pacis: audiatur perpetuo & ſonet in oro noſtro CHRISTI confeſſio, ſic non lædet nos ulla Diaboli tentatio: verba incantatoris non tam pellunt ſerpentem corporalem, quam eloquia conſtantis confeſſionis fugant hunc ſerpentem ſpiritualem. *e* Aſſumatur ſcutum fidei, ut tela ignita extinguamus hoſtis nequisſimi. Fides eſt, quæ etiam

a mon-

(*a*) *Eph.* 6, 14. (*b*) *Cant.* 2, 14. (*c*) *Joh.* 14, 30. (*d*) *Eph.* 6, 15. (*e*) *Eph.* 6, 16.

a montes transfert, montes intellige dubitationum, persecutionum & tentationum. Non b percutiebantur à vastatore Israelitæ, quorum postes signati sanguine paschalis agni, non læduntur ab hoc vastatore, quorum corda per fidem Christi sanguine aspersa. Fides recumbit in DEI promissiones: at promissiones DEI evertere non potest Satanas: ergo etiam contra fidem prævalere non poterit. Fides est animæ lumen, tentationes ergo maligni Spiritus in hoc lumine facile apparent. Per fidem peccata nostra c projiciuntur in profundum misericordiæ divinæ mare, in illo ignita Diaboli tela facile extinguentur. d Galeam etiam salutis, id est, sanctam spem assumere debemus: tolera tentationem, tentationis respiciens exitum, est enim

(a) *Matth.* 17, 20. (b) *Exod.* 12, 13. (c) *Mich.* 7, 19. (d) *Eph.* 6, 17. *Gregor. Nyss. lib. de beatit. Saban. in exeg. orat. dom. Nazian. in Apol.*

Deus moderator certantium, & corona vincentium: si nullus hostis, nulla pugna: si nulla pugna, nulla victoria: si nulla est victoria, nulla corona: melior illa pugna, quæ Deo proximum facit, quam illa pax, quæ á Deo abalienat: Assumendus etiam *a* gladius Spiritus, quod est verbum Dei: plus apud te valere sinas Scripturæ consolationes, quam Diaboli contradictiones. *b* Christus omnes Satanæ tentationes verbo vicit; verbo adhuc omnes Satanæ tentationes vincunt Christiani. Denique in precibus maximum habes contra tentationes subsidium: quoties navicula animæ fluctibus tentationum obruitur, *c* Christum precibus excita: hostes visibiles vincimus feriendo, *d* hostem invisibilem vincimus preces fundendo. Pugna, o Christe, pro nobis in nobis, ut etiam in te vincamus!

(*a*) *Eph.* 6, 17. (*b*) *Matth.* 4, 4. (*c*) *Matth.* 8, 25. (*d*) *Aug.*

XXIIX.

GENERALES PIE VIVENDI REGULÆ.

PIETAS SAPIENTIA SUMMA EST.

QUolibet die morti, Judicio & æternitati magis appropinquas; cogita ergo quolibet die, quomodo in mortis & Judicii ſevera diſcuſſione conſiſtas, & quomodo in æternum vivas. Omnium cogitationum, verborum & actionum accurata cura habenda, quia *a* de omnibus cogitationibus, verbis & actionibus olim accurata ratio reddenda. Mortem hac nocte inſtare cogita tempore veſpertino; mortem hac die inſtare cogita tempore matutino. Converſionem & bonam operationem ne differ in craſtinum: quia incerta eſt dies craſtina, ſad mors impendens ſemper eſt certa: nihil magis adverſum pietati quam dilatio; ſi contemnis in-

(*a*) *Eccleſ* 2, 9.

internam Spiritus ſancti vocationem, nunquam pervenies ad veram converſionem. *a* Converſionem & bonam operationem ne differ in ſenectutem, ſed offer DEO ipſam floridam juventutem: incerta eſt juveni ſenectus; certus paratus eſt juveni impœnitenti interitus: nulla ætas ſervitio Dei magis apta, quam viribus corporis & animi vigens juventa: in nullius hominis gratiam ſuſcipere debes actionem malam; non enim homo iſte, ſed DEus tuam aliquando judicabit vitam: Nullam ergo hominum gratiam divinæ ſtatuas gratiæ præferendam. In via Domini aut proficimus, aut deficimus: ſingulis ergo diebus vitam tuam examina, an pietatis ſtudio proficias aut deficias. Stare in via Domini eſt retrogredi, non ergo te delectet in curſu pietatis ſtare, ſtudeas autem ſemper in via Domini ambulare; *b* In con-

(*a*) *Sir.* 18, 22. (*b*) *Bernh. de conſcient. col.* 1748.





Immensum capiam: sic est, hunc mente tenebo
Sol cum splendebit, Sol mihi justitiæ.

Ach was wird seyn Frewd u. Wone
Wenn wird scheinen stets die Sonne
in der Frommen Seeligkeit.
dann da werden wir genesen
Und anschauen Gott im Wesen
ohne Rüh in Ewigkeit.

conversatione tua omnibus sis suavis, nemini gravis, paucis familiaris, DEO vivas pie, tibi caste, proximo juste: amico utaris ad gratiam, inimico ad patientiam, omnibus ad benevolentiam, quibus potes, ad beneficentiam: in vita tibi tuisque vitiis quotidie morere, sic in morte DEO poteris vivere. *a* Appareat misericordia in affectu, benignitas in vultu, humilitas in habitu, modestia in cohabitatione, patientia in tribulatione. Semper cogites tria *præterita:* malum commissum, bonum omissum, tempus amissum. Semper cogites tria *præsentia,* vitæ præsentis brevitatem, salvandi difficultatem, salvandorum paucitatem. Semper cogites tria *futura:* mortem, qua nihil horribilius; judicium, quo nihil terribilius; pœnam inferni, qua nihil intolerabilius. Preces vespertinæ præterlapsæ diei emendent peccata: ultimus septimanæ dies præceden-

(*a*) *Hugo de claustro animæ lib.* 3.

dentium dierum emendet delicta. Vesperi cogita, quam multi ad infernum eo die præcipitati, & DEO gratias age, quod tempus tibi concesserit pœnitendi. *a* Tria sunt supra te, quorum cogitatio nunquam recedat á memoria tua. Oculus omnia videns, auris omnia audiens, & libri, in quos omnia scribuntur. Totum se DEus tibi communicavit, totum te communices etiam proximo tuo; optima vita est, quæ tota aliis inservit: exhibe superiori obedientiam & reverentiam, æquali consilium & auxilium, inferiori custodiam & disciplinam. *b* Corpus tamen subjiciatur animo, & animus DEO. Mala tua præterita defleas, præsentia bona parvipendas, futura bona toto cordis desiderio concupiscas. Memento

(*a*) *Veteres Hebræi.* (*b*) *Bernh. ser. 3. de Advent. Idem de inter. domo c. 1. Petrar. de remed. utriusq; fort. l. 1. Dial. 8. Bernh. de convers. ad cleric. c. 30.*

to peccati tui, ut doleas: memento mortis, ut desinas: memento justitiæ divinæ, ut timeas: memento misericordiæ divinæ, ne desperes. Quantum potes, à mundo te abstrahe, & servitio Domini te totum devove: semper cogita periclitari castitatem in delitiis, humilitatem in divitiis, pietatem in negotiis: Nulli placere appetas, nisi Christo; nulli displicere timeas, nisi Christo. Semper ora Deum, ut jubeat, quod velit, & det, quod jubeat: quod factum est, tegat, quod futurum, regat: qualis videri vis, talis etiam esse debes: non enim judicat Deus secundum speciem, sed secundum veritatem. In verbis cave multiloquium, quia *a* de omni verbo vano rationem exigit judicium. Opera tua qualiacunque sint, non transeunt, sed velut æternitatis quædam semina jaciuntur; si seminas in carnem, à carne metes corruptionem; si seminas in spiritum, à spiritu metes æternæ retributio-

(*a*) *Matth.* 12, 36. (*b*) *Gal.* 6. 8.

tionis præmium. Non ſequentur te poſt mortem honores mundi, nec ſequentur te divitiarum cumuli; non ſequentur te voluptates, nec ſequentur te mundi vanitates, ſed *a* poſt ultima vitæ fata ſequentur te omnia tua opera. Qualis ergo vis eſſe in judicio, talis hodie appareas in DEI conſpectu; non æſtimes quæ tibi adſunt, ſed potius æſtimes ea, quæ tibi deſunt; non ſuperbias propter id, quod eſt datum, ſed humilieris potius propter id, quod eſt negatum; *b* diſce vivere, dum adhuc licet vivere; in hoc tempore æterna vita acquiritur aut amittitur, poſt mortem non reſtat tempus operandi, ſed incipit tempus compenſandi: in futura vita non expectatur operatio, ſed operum retributio. *c* Sancta meditatio pariat in te ſcientiam, ſcientia compunctionem, compunctio devotionem, devotio faciat orationem: *d* Ma-

(*a*) *Apoc.* 14, 13. (*b*) *Cypr. tract.* 8. *cont. Dem.* (*c*) *Theol. myſt. cap.* 34. (*d*) *Kemp. hort. roſ. c.* 6.

Magnum bonum pro pace cordis ſilentium eſt oris: quanto magis fueris à mundo ſeparatus, tanto magis DEO eris gratus; quicquid habere deſideras, á Deo pete; quicquid habes, DEO tribue: non eſt dignus dandis, qui non agit gratias pro datis; ceſſat gratiarũ decurſus, ubi non fuerit recurſus. *a* Quicquid tibi accidit, in bonum converte; quoties tibi obveniunt proſpera, æſtima, quod exhibeatur benedicendi & laudandi materia: quoties obveniunt adverſa, æſtima, quod pœnitentiæ & converſionis ſint monitoria. *b* Vim potentiæ tuæ oſtende in juvando, vim ſapientiæ tuæ in erudiendo, vim divitiarum in benefaciendo. Non frangat te adverſitas, neque extollat te proſperitas: ſit ſcopus vitæ tuæ Chriſtus, quem ſequaris in via, ut eum aſſequaris in patria. In omnibus maximæ tibi curæ ſit profunda humilitas, & ardens

(a) Bernh. in cap. jejun. ſer. 2. (b) Ludov. Viv. in ſatel. anim.

dens charitas: elevet cor tuum charitas ad DEum, ut ei adhæreas; deprimat cor tuum humilitas, ne ſuperbias. *a* Æſtima DEUM, patrem clementia, Dominum diſciplina: patrem poteſtate blanda, Dominum ſevera: dilige ut patrem pie, time ut Dominum neceſſarie, dilige eum, quia vult miſericordiam: time eum, quia non vult peccatum: Time Dominum, & *b* ſpera in eum, agnoſce tuam miſeriam, & ipſius prædica gratiam. O DEUS, *c* qui dediſti velle, da etiam perficere!

(*a*) *Tertull. lib. 2. ad Marcion.* (*b*) *Pſ.* 37. 5. (*c*) *Phil.* 2, 13.

XXIX.

DE SECURITATE EXCUTIENDA.

SECURE VIVERE MORS EST.

COgita, devota anima, ſalvandi difficultatem, & facile excuties omnem

omnem securitatem. *a* Nunquam & nullibi securitas est, neque in cœlo, neque in Paradiso, multo minus in mundo. Cecidit Angelus sub præsentia divinitatis, cecidit Adam in loco voluptatis, Adamus creatus erat *b* ad imaginem DEI, nihilominus insidiis deceptus est Diaboli. *c* Salomon omnium hominũ erat sapientissimus, nihilominus á Domino *d* per mulieres est aversus. *e* Judas erat in schola Salvatoris, & quotidie percipiebat salutaria verba istius summi Doctoris, nec tamen tutus fuit à laqueis seductoris, præcipitatus est in barathrum avaritiæ, & ex avaritia in barathrum æternæ tristitiæ. David *f* vir erat secundum cor Dei, & erat Jehovah charissimus filius, sed per homicidium & adulteriũ factus *g* erat mortis filius. Ubi ergo in

(*a*) *Bernh. de ser. Dom. in monte* (*b*) *Gen.* 1, 27. (*c*) 1. *Reg.* 3. 12 (*d*) 1 *Reg.* 11, 3. (*e*) *Luc.* 22, 6. (*f*) 1. *Sam.* 13, 14. (*g*) 2. *Sam.* 12, 5.

in hac vita securitas? adhære firma cordis fiducia DEI promissionibus, & tutus eris à Dæmonis impugnationibus; nulla in hac vita securitas, nisi quam credentibus & in via Domini ambulantibus promissionum præstat infallibilitas; si ad futuram pervenerimus felicitatem, tunc demum plenam habebimus securitatem: *a* in hac vita connexa sunt timor & religio, nec alterum debet esse sine altero: ne sis securus in adversis, *b* sed quæcunque accidunt adversa, peccatorum tuorum cogita flagella: sæpius occulta delicta punit DEus per flagella manifesta: cogita gravem peccatorum tuorum labem, & time justum peccatorum vindicem: ne sis securus in prosperis, illi enim DEus irascitur, qui in hac vita non corripitur: *c* quid sunt afflictiones piorum? amaræ sagittæ ex dulci DEI manu emissæ; multos DEus indignos

gnos

(*a*) *Bernh.* (*b*) *Gers. l.4. de consol. Theos. pros.* 5. (*c*) *Nazianz.*

gnos præsenti punitione æstimat, quos tamenũ ætern reprobat; successus felicitatis humanæ sæpius indicium est damnationis æternæ: nihil infelicius peccantium felicitate, nihil miserabilius eo, qui miseriam ignorat. Quocunque vertis oculos, materiam doloris invenis, & contra securitatem remedia aspicis: *a* sursum Deum cogita, quem offendimus: deorsum infernum, quem meruimus; retrorsum peccata, quæ commisimus; antrorsum judicium, quod timemus: introrsum, conscientiam, quam fœdavimus: extrorsum mundum, quem amavimus. Vide unde venis, & erubesce: *b* ubi es, & ingemisce: quo iturus es, & contremisce: *c* Arcta est salutis porta, sed adhuc arctior salutis via. Thesaurum fidei dedit tibi DEus, sed *d* thesaurum istum portas in vasis fictilibus. *e* Angelos tibi dedit DEus ad custodiendum, sed non

(*a*) *Aug.* (*b*) *Bernh.* (*c*) *Matth.* 7, 14. (*d*) 1. *Cor.* 4, 7. (*e*) *Ps.* 91, 11.

non longe abest Diabolus ad seducendum; *a* renovavit te Spiritu mentis tuæ, sed habes adhuc multum de carnis vetustate: constitutus es in Dei gratia, nondum constitutus es in æterna gloria. Parata est in cœlo mansio, sed tamen affligit prius mundi impugnatio. *b* Promisit Deus veniam pœnitenti, sed voluntatem pœnitendi dare non promisit delinquenti: expectant te æternæ vitæ consolationes, sed *c* tamen per multas te oportet ingredi tribulationes: promissa est æterni præmii corona, sed gravis prius superanda restat pugna: *d* non mutat Deus suum promissum, sed nec tu mutare debes sanctæ vitæ studium: non faciente servò quod præcipitur, faciet Dominus quod minatur. Ingemiscendum ergo jugiter, & postposita securitate lugendum, ne

(*a*) *Eph.* 4, 23. (*b*) *Ansh. de similit. c.* 115. (*c*) *Act.* 14, 22. (*d*) *Cypr. ser. de eleem. Isid. l.* 2. *de summ. bono. c.* 3. *Bern. ser.* 21. *in Cant.*

ne justo & secreto Dei judicio homo deseratur, & perdendus in potestate Dæmonum relinquatur: Sic quamdiu adest divina gratia, delectare in ea, ut tamen non existimes te donum DEI jure hæreditario possidere, ita scilicet securus de eo, tanquam nunquam perdere possis, ne subito, cum forte DEus subtraxerit donum, & retaxerit manũ, tu animo concidas, & tristior, quam oportet, fias: *a* beatus omnino, si omni satagas cura, malorum omnium parentem, cavere incuriam. Non te deseret DEUS: sed cave ne à te deseratur DEUS: dedit DEUS gratiam, ora, ut det etiam perseverantiam: jubet DEUS, ut sis de salute certus, non autem jussit, ut sis securus. *b* Pugnandum tibi est fortiter, ut tandem triumphes suaviter: Caro tua intra te contra te pugnat, hostis, quo propinquior, eo formidabilior: mundus circa te contra te pugnat, hostis quo copiosior, eo formidabilior;

(*a*) *Idem l.3. de consid.* (*b*) *2.Tim.4,7*

lior; Diabolus ſupra te contra te pugnat, hoſtis quo potentior, eo formidabilior; in virtute DEI ne timeas cum his hoſtibus congredi, in virtute Dei victoriam poteris conſequi. Non autem vinces tantos hoſtes ſecuritate, ſed pugnandi aſſiduitate, tempus vitæ, tempus pugnæ; *a* tunc maxime impugnaris, cum te impugnari neſcis; tunc potiſſimum colligunt vires ſuas, cum quasdam videntur concedere inducias. Vigilant illi, & tu dormis? parant ſe illi ad nocendum, & tu non paras te ad reſiſtendum? multi deficiunt in via, antequam locus illis detur in Patria: Quam multi *b* Iſraelitæ in deſerto moriebantur, quorum nullus promiſſam terram conſequebatur? quam multi ſpirituales Abrahæ filii in vitæ hujus deſerto pereunt, antequam promiſſam cœleſtis regni hæreditatem adeunt? nihil efficacius ad excutiendam ſecuritatem, quam

(*a*) *Hieron.* (*b*) *Deut.* 1, 15.

quam si cogitemus perseverantium raritatem. *a* Tantum ergo cœlestis gloriæ in nobis sit desiderium, & eo perveniendi amor, tantus sit dolor, quod nondum pervenerimus, tantus sit timor, ne perveniamus, ut nullam sentiamus lætitiam, nisi de his, quæ aut auxilium aut perveniendi spem præstent. Quid juvat in momento gaudere, si in æternum cogaris lugere? Quæ possit esse in hac vita lætitia, si transit, quod delectat; non autem transit, quod cruciat: Securi vivimus, quasi horam mortis & judicii transierimus: Dicit Christus; *b* quod ad judicium venturus sit, qua hora non putamus: dicit hoc veritas, & altera vice repetit, audi & time: Si venturus est Dominus in ea hora, qua non putamus, metuendum valde, ne imparati ad judicium accedamus: Si accedimus imparati, quomodo sustinere poterimus seve-

(*a*) *Ansh. L.* 1. *cur Deus homo cap.* 20. (*a*) *Matth.* 24, 44.

ram discussionem hujus judicii? nihilominus quod in uno hoc amittitur momento, non poterit reparari in omni seculo, in unius momenti judicabitur brevitate, quales futuri simus in omni æternitate: in unico hoc momento Vita & Mors, Damnatio & Salus, Pœna & Gloria æterna cuilibet adjudicabitur. O Domine, qui dedisti ad bonum gratiam, da insuper in bono perseverantiam!

XXX.

DE SANCTA VITÆ CHRISTI IMITATIONE.

SIT VITÆ REGULA CHRISTUS.

SAncta Christi vita est perfectissima virtutum idea, *a* omnis Christi actio est etiam nostra institutio. *b* Multi volunt Christum consequi, sed detrectant sequi: Volunt Christo frui, sed non & imitari: *c Discite à me, quia mitis sum & humilis corde,*

(*a*) *Gregor.* (*b*) *Bernh. ser.* 21. *in cant.*
(*c*) *Matth.* 11, 29.

de, dicit Salvator: nisi Christi velis esse discipulus, nunquam eris verus Christianus. Non solum Christi passio sit tuum meritum, sed & Christi actio sit vitæ tuæ exemplum. Dilectus *a* tuus candidus, & rubicundus; sis & ipse rubicundus sanguinis Christi aspersione, & candidus vitæ Christi imitatione. Quomodo vero Christum amas, si ipsius sanctam vitam non amas? *Si diligitis me*, *b* dicit Salvator, *præcepta mea servate*. Qui ergo mandata ejus non servat, eum etiam non diligit. Sancta Christi vita est perfecta vitæ nostræ regula. Omnibus regulis Francisci aut Benedicti præferenda est unica regula vitæ Christi. Si vis esse adoptivus DEi Filius, vide, quomodo conversetur Filius ille unigenitus. Si vis esse cohæres Christi, debes etiam esse imitator Christi. Qui vivere vult cum vitiis, ille Diaboli se dedit obsequiis; qui vero vult esse

(*a*) *Cant.* 5. 10. (*b*) *Joh.* 14, 23.

cum Diabolo, quomodo poterit esse cum Christo? Vitia amare, est Diabolum amare, quia *a* omnia peccata sunt à Diabolo, quomodo ergo poterit esse verus amator Christi, qui est amator Diaboli? Deum amare, est sanctam vitam amare, quia à Deo omnis sancta vita, quomodo ergo poterit esse amator Dei, qui non est amator sanctæ vitæ? *b* Probatio dilectionis est exhibitio operis; veri amoris proprium est, amato obsequi, idem cum amato velle, eadem cum amato sentire. Si ergo vere Christum amas, mandatis ejus obsequentem te præstabis, sanctam vitam cum ipso amabis, & spiritu mentis tuæ *c* renovatus cœlestia cogitabis. Vita *d* æterna est in cognitione Christi: qui vero Christum non amat, eum etiam non cognoscit: qui humilitatem, castitatem, mansuetudinem, temperantiam, charitatem non amat, etiam Chri-

(*a*) 1. *Joh.* 3, 8. (*b*) *Gregor.* (*c*) *Eph.* 4. 23. (*d*) *Joh.* 17, 3.

Christum non amat, quia Christi vita nihil aliud erat, quam humilitas, castitas, mansuetudo, temperantia, charitas. Christus *a* dicit, *se non nosse eos, qui voluntatem Patris non adimplent*; Ergo etiam Christum non norunt, qui voluntatem Patris cœlestis non faciunt. Quæ vero est voluntas Patris? *Sanctificatio nostra*, dicit Apostolus. *b* Non *c* est Christi, qui Spiritum Christi non habet: ubi vero Spiritus sanctus, ibi etiam cum donis & fructibus suis adest: qui vero fructus Spiritus? *d* charitas, gaudiū, pax, lenitas, benignitas, bonitas, fides, mansuetudo, temperantia. Sicut *e* super Christum requiescebat sanctus Spiritus: ita etiam requiescit super omnes illos, qui in Christo sunt per veram fidem, quia Sponsa Christi currit *f* in odore unguentorum Christi. Qui

(*a*) *Matth.* 7, 21. 23. (*b*) 1. *Thess.* 4, 3. (*c*) *Rom.* 8, 9. (*d*) *Gal.* 8, 22. (*e*) *Esa.* 11, 12. (*f*) *Cant.* 1, 3.

a Domino adhæret, eſt unus Spiritus cum eo. Sicut *b* carnalis copula viri & uxoris facit ex eis carnem unam; ita ſpiritualis conjunctio Chriſti & fidelis animæ facit ex eis Spiritum unum. Ubi vero Spiritus unus, ibi eadẽ voluntas: ubi voluntas eadem, ibi etiam actiones eædem. Qui ergo vitam ſuam Chriſti vitæ non conformat, nec Domino adhærere, nec Spiritum Chriſti habere convincitur. *c* An non æquum eſt, ut omnis vita noſtra illi conformis reddatur, qui ex amore ſe totum nobis conformavit? *d* Deus in carne ſe manifeſtans exemplar ſanctæ vitæ nobis propoſuit, ne quis ſanctam vitam detrectans ad carnis confugeret excuſationem. Nulla vita jucundior aut tranquillior quam Chriſti vita; quia Chriſtus verus Deus; quid vero Deo tanquam ſummo bono jucun-

(*a*) 2. *Cor.* 6, 17. (*b*) *matth.* 19, 6. (*c*) *Granat. de vita Chriſti. cap.* 1. (*d*) 1. *Tim.* 3, 16.

cundius aut tranquillius? seculi vita brevem affert lætitiam, sed æternam secum trahit tristitiam. Cui in vita te conformas, ei etiam in resurrectione conformaberis: si Christi vitæ te hic conformare incipis, illi in resurrectione etiam plenius conformaberis; si Diabolo te conformas per flagitia, in resurrectione ei conformaberis per tormenta. *Qui* (a) *me sequi vult, abneget seipsum*, dicit salvator, *& tollat crucem suam quotidie.* Si in hac vita abnegas teipsum, Christus in judicio agnoscet te pro suo. Si propter Christum proprio honori, proprio amori, propriæ voluntati in hac vita renuncias, Christus in futura sui honoris, sui amoris, suæ voluntatis compotem te faciet. Si in hac vita particeps es crucis, in futura particeps eris æternæ lucis: si in hac vita particeps es tribulationis, in futura particeps eris consolationis: si in hac vita particeps es persecutionis, in futura par-

(a) *Matth.* 16, 24.

ticeps eris largiſſimæ retributionis. *a Qui me confitetur in hoc ſeculo*, inquit Chriſtus, *confitebor & ego eum coram Patre cœleſti:* Jam vero non ſolum doctrinæ profeſſione, ſed etiam vitæ conformatione Chriſtum nos confiteri debemus, ita demum pro ſuis nos agnoſcet in judicio. Quiſquis me negaverit coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre cœleſti. Chriſtus non ſolum verbis, ſed etiam, & multo magis impia vita negatur. Qui ergo factis negat Chriſtum in hoc ſeculo, eum etiam factis negabit in judicio. Chriſtianus non eſt, qui veram Chriſti fidem non habet, vera autem fides Chriſto, *b* ſpirituali viti, nos inſerit tanquam palmites: omnem palmitem in Chriſto non ferentem fructum cœleſtis agricola tollit: qui vero in Chriſto manet, *c* in quo Chriſtus per fidem habitat, hic fert fructum multum.

(*a*) *Matth.* 10, 32. (*b*) *Joh.* 15, 4. (*c*) *Eph.* 3, 17.

tum. Non eſt palmes in vite, qui non trahit ſuccum ex vite: non eſt anima in Chriſto per fidem, quæ non ſpiritualem charitatis ſuccum ex Chriſto trahit per fidem. Conforma nos vitæ tuæ, bone Jeſu, in hoc ſeculo, ut plene ei conformemur in futuro.

XXXI.

DE SUI ABNEGATIONE.

ILLE NEGAT CHRISTUM, QUI SE NON ABNEGAT IPSUM.

QUi (*a*) *me ſequi vult, ſeipſum abneget*, dicit Salvator: Seipſum abnegare, eſt proprio ſuo amori renunciare; amor proprius amorem Dei prohibet: Si vis eſſe Chriſti diſcipulus, neceſſe eſt, ut radix amoris proprii moriatur in te penitus: nemo Chriſtum diligit, niſi qui ſeipſum odit. *b* Niſi granū frumenti, lapſum in terram, fuerit mortuum, fructū non affert: ita quoq; fructus Spiritus ſancti percipere non poteris,

(*a*) *Marc.* 16, 24. (*b*) *Joh.* 12, 24. 1. *Cor.* 15, 36.

ris, nisi in corde tuo moriatur amor proprius. Dicebat Dominus ad Abraham: *a Egredere è terra tua & è cognatione tua, & è domo patris tui ad terram, quam ostendam tibi:* Non poterat Abraham tantus fieri Prophetà, nisi prius egrederetur ex sua patria: non eris prius verus Christi discipulus, & verè spiritualis homo, antequam ab amore discedas proprio. *b* Jacob ex contactu Angeli uno pede claudicabat, altero sano & integro: *c* per duos hos pedes duplex amor intelligitur, proprius & divinus: tunc homo particeps erit divinæ benedictionis, cum pede amoris proprii claudicabit, altero illo amoris Dei manente sano & integro: *d* fieri nequit, ut una eodemque oculo cœlum intuearis & terram, ita fieri nequit, ut una eademque voluntate seipsum inordinate quis amet ac Deum:

(*a*) *Gen.* 12, 1. (*b*) *Gen.* 32, 25. (*c*) *Granat. de amore Dei.* (*d*) *Joh. Climacus.*

Deum: Amor est summum animæ nostræ bonum, tribuendum ergo hoc summum animæ bonum summo bono, scilicet Deo. Amor tuus, Deus tuus, id est, quicquid summe amas, id in Dei locum collocas: quicquid summe amas, summum esse judicas; Deus autem vere est summum Ens: qui ergo seipsum amat, seipsum Deum judicat, & in locum Dei collocat, quæ est omnino maxima idololatria. Quod summe amas, hoc rerum omnium finem æstimas, & desideriorum tuorum ultimum complementum judicas: *a* solus autem Deus est principium & finis creaturarum, ipse est primus & novissimus, ipse solus implet desiderium cordis nostri, & nihil quicquam creatum tua potest satiare desideria: amorem ergo Dei præferre debes amori proprio. Deus *b* est principium & finis: in illo ergo debet amor noster incipere, in illo etiam debet desinere. DEI es-

(*a*) *Esa.* 44, 6. (*b*) *Apoc.* 1, 8.

eſſentia eſt extra omnes creaturas, ſicut ab æterno fuit Deus in ſe ipſo: ab omnibus ergo creaturis amorem tuum abſtrahas. Qualis amor tuus, talia etiam opera tua: ſi opera tua procedunt ex vera fide & Dei amore, Deo ſunt grata, & coram oculis ejus magna, licet coram omnium hominum oculis ſint parva: ſi procedunt ex amore proprio, nunquam poterunt placere Deo: amor proprius præſtantiſſima quæque opera contaminat. *a* Cum eſſet Chriſtus in domo Simeonis, *b* mulier quædam unguenti pretioſi vas confringit, & caput Chriſti inungit: apparet opus parvum, nihilominus Chriſto erat gratum, quia procedebat ex fide vera, charitate pura, contritione ſeria: Sacrificium erat opus Deo gratum in V. T. interim tamen Deo non placebat, quod Saul *c* prædam Amalecitarum ad offerenda DEO ſacrificia ſegre-

(*a*) *Joh. Arnd. de veroChriſtian.* (*b*) *Matth.* 16, 6. (*c*) 1. *Sam.* 15, 19.

gregabat: quare? quia hoc non procedebat ex amore Dei: si enim vère Deum dilexisset, mandatum DEI de omnibus prædis exurendis non contemsisset, seipsum diligebat, & suam devotionem. Amor est quidam ignis, ita enim orat Ecclesia: *Veni sancte Spiritus & tui amoris ignem accende in fidelibus:* ignis non hæret in terra fixus; sed semper tendit sursum, sic amor tuus non debet in te conquiescere, sed sursum ad Dominum se debet elevare.

Seipsum abnegare est insuper honori suo renunciare: summo bono soli debetur summus honor: Deus summum bonum est. Qui *a* suam quærit gloriam, non potest Dei gloriam quærere, sicut Salvator dicebat ad Pharisæos. Quomodo potestis credere, qui gloriam ab invicem accipitis? Christi exemplum intuere & sequere: sæpius de se testatur, quod *b*

N non

(*a*) *Joh.* 5, 44. (*b*) *Joh.* 8, 50.

non quærat ſuam gloriam, *a* quod non accipiat honorem ab hominibus, quod ſit *b* ex corde humilis. Omnia tua dona à Deo accipis, omnia ergo Deo viciſſim tribuas, omnes bonorum rivuli ab hoc fonte bonitatis divinæ procedunt, omnia ergo bona viciſſim in hoc mare transferenda: herbæ, quæ ſolſequia dicuntur, ſemper convertunt ſe ad Solem, à quo vitam & ſuccum hauriunt: ſic cum omnibus tuis donis & omni tuo honore ad Deum te converte, & nihil quicquam tibi tribue. Si aliquid à teipſo habes, honorem tuum quærere, & tibi ipſi tua dona tribuere potes: ſed quia nihil habes à teipſo, omnia vero à Deo, ideo non tuum, ſed Dei honorem quærere debes. Proprius honor avertit hominem à Deo, exemplum eſt in Nebucadnezar, qui dicebat, *c hæc eſt illa Babylon, quam ædificavi in domum regni, in robore for-*

(*a*) *Joh.* 5, 41. (*b*) *Matth.* 11, 26.
(*c*) *Dan.* 4, 27.

fortitudinis meæ, & in gloriam decoris mei. Sed quid sequitur? *a* adhuc sermo erat in ore R^gis, & vox è cœlo ruit: *Tibi dicunt Nebucadnezar, regnum transibit à te, ab hominibus te eiicient, & cum bestiis agri erit habitatio tua:* sic si ex proprio honore, & superbia spiritualem tuam Babylonem, id est, operum bonorum structuram æstimas, & gloriam eorum tibi tribuis, & non soli DEO, abjicieris à conspectu Dei.

Seipsum denique abnegare est propriæ voluntati renunciare: optimæ voluntati semper parendum, Dei autem voluntas semper est optima: illius voluntati parendum, à quo *b* omnia nostra habemus: â DEO autem omnia ad nos devenerunt: illius voluntati parendum, qui nos semper ad vitam & ad bonum deducit, Dei voluntas semper ducit ad vitam & bonum. Delectare *c* in Domino, & ipse

(*a*) *D.* 27, (*b*) 1. *Cor.* 4, 7. (*c*) *Ps.* 37, 4.

ipse dabit tibi petitiones cordis tui. Propria voluntas ad mortem & damnationem nos deducit. *a* Per quid primus noster parens ex Dei gratia & statu salutis in æternam damnationem prolapsus est? Seposita Dei voluntate propriam sequebatur voluntatem, præceptum Domini negligebat, & suasionem Diaboli audiebat. Verus ergo Christi discipulus proprie voluntati renunciat, & divinam voluntatem sequi desiderat. Aspice Christum, *b* is in agone passionis constitutus propriam voluntatem, tanquam gratissimum sacrificium, Deo offert: offeras & tu propriam Deo voluntatem, & sic perficies eam, quam Christus requirit, tui abnegationem. O Domine, *c* tua sancta voluntas fiat, sicut in cœlo, ita & in terra.

(*a*) *Gen.* 3. (*b*) *Matth.* 26, 39. 42. (*c*) *Matth.* 6, 10.

XXXII.
DE VERA QVIETE ANIMÆ.

DOMINO MENS NIXA QVIETA EST.

IN transitoriis & mundanis rebus quietem suam anima sæpe quærit, sed non invenit. Quare? quia anima omnibus creaturis dignior, non ergo potest in illis vilioribus quietem & pacem invenire. Omnia mundana fugacia sunt & transitoria, anima autem immortalis, quomodo ergo veram quietem in illis inveniret? Omnia illa terrena sunt, anima autem nostra cœlestis est originis, quomodo ergo illis desiderium suum explere posset? In *a* Christo requiem invenit, ille potest satiare & explere desiderium illius. Contra iram Dei quiescit in vulneribus Christi: contra accusationem Satanæ in potentia Christi: Contra terrorem legis in prædicatione Christi: contra pecca-

(*a*) *Matth.* 11, 29.

ta accuſantia in ſanguine Chriſti, qui *a* melius coram DEO loquitur, quam ſanguis Abel: Contra mortis terrorem in ſeſſione Chriſti ad dextram patris acquieſcit & confidit. Atque ita fides noſtra quietem invenit in Chriſto, ſed & charitas noſtra ſummam quietem ibi invenit. Qui amore rebus terrenis inhæret, non habet veram quietem, quia ipſæ res terrenæ eam non habent, nec poſſunt plene appetitum animæ ſatiare, quia omnia finita ſunt, anima autem noſtra ad imaginem Dei facta, infinitum illud bonũ, in quo omnia bona ſunt, appetit. Ut ergo fides noſtra nulli ex omnibus creaturis inniti debet, ſed ſoli Chriſti merito: ita quoque amor noſter nulli creaturæ adhærere debet, imo nec nobis ipſis. Nam proprius amor itidem amorem Dei impedit: omnibus debemus amorem Dei præferre. Anima noſtra *b* ſponſa Chriſti eſt, huic ergo uni adhærere debet: ani-

(*a*) *Hebr*. 12, 24. (*b*) 2. *Cor*. 11, 2.





Ô ter sancta fides! ingentem miror amorem.
Tu, JESU, firma foedera Conjugij!

Dich, JESU ich kenne, Und liebsten Schatz nenne
weil du mich gezihrt,
Im glauben vertrauet, nun werd ich ey schauet
Zum Bräutigam geführt.

anima nostra *a*DEI habitaculum, huic ergo soli locum dare debet. Multi quærunt in *divitiis* quietē, sed extra Christum nulla animæ quies: ubi autem Christus, ibi paupertas, si non actu, tamen affectu. Non habebat ille cœli & terræ Dominus, *b* quo caput reclinaret, sicque paupertatem nobis commendare & consecrare voluit. Divitiæ sunt extra nos, at, quod animam quietam reddere debet, illud internum esse oportet: cui vero in morte adhærebit anima, quando omnia in mundo relinquenda? aut nos divitiæ deserunt, aut nosmet illas, sæpius in vita, semper autem in morte: ubi ergo tunc pacem & quietem inveniet anima? Multi in *voluptatibus* quærunt quietem, sed corporis hæc aliquamdiu quies & delectatio esse potest, non autem animæ; tandem sequitur comes, dolor & luctus. Voluptates ad hanc vitam spectant, anima autem

(*a*) 1.*Cor.* 3,16. (*b*) *Matth.* 8,20.

non est creata hujus vitæ gratia, quia per mortem exire compellitur, quomodo ergo in voluptatibus quietem invenire possit? Extra Christum non est animæ quies: qualis autem erat vita Christi? Summus dolor à primo nativitatis tempore usque ad mortem. Sic ille verus rerum æstimator docere nos voluit de voluptate quid nobis sentiendum sit. Multi in *honoribus* quærunt quietem. Miseri vero, qui ad quamlibet popularis auræ mutationem quiete carere coguntur: honor est externus & fugacissimum bonum, quod autem quietem animæ largiri debet, id in nobis esse oportet: quid de humana laude & gloria plus referes, quam Apellis pictura laudata? *a* considera angulum, in quo latitas, quanta ejus proportio ad totam provinciam! ad Europam! ad totum orbem habitabilem! ille demum verus honor,

(*a*) *Lud. Viv. introd. ad sap. th.* 502.

nor, qui à Deo electis olim obtinget. Quies rei est in ipsius fine, nec quiescit res naturaliter, nisi postquam finem & locum suum adepta est, finis creatæ animæ Deus est, facta siquidem est ad Dei imaginem. Ergo non potest esse quieta & pacata, nisi in illo suo fine, scilicet in Deo. *a* Ut corporis vita anima, ita animæ vita Deus: sicut ergo vere vivit anima, in qua spirituali gratia DEUS habitat, ita mortua est anima, quæ Deum inhabitantem non habet, quæ vero potest esse quies mortuæ animæ? prima ista mors in peccatis necessario secum trahit *b* secundam mortem damnationis. Qui proinde amore suo firmiter adhæret Deo, & interius Divina consolatione fruitur, illius quietem exteriora mala perturbare non possunt: in rebus tristibus lætus est, in paupertate dives, in tribulationibus seculi securus, in turbis munda-

(*a*) *August. passim.* (*b*) *Apoc.* 20, 6.

nis tranquillus, in conviciis & hominum contumeliis pacatus, in ipsa morte vivus. Non curat Tyrannorum minas, quia interius sentit divinæ consolationis divitias. In adversis non tristatur, quia sanctus Spiritus efficaciter eum interius consolatur. Non angitur in paupertate, quia dives est in Dei bonitate. Non turbatur hominum contumeliis, quia divini honoris fruitur delitiis. Non curat carnis voluptatem; quia magis gratam habet Spiritus suavitatem. Non quærit amicitias mundanas, quia Dei sibi propitii ac amici sentit delitias. Non inhiat thesauris terrenis, quia summum thesaurum habet reconditum in cœlis. Mortem non metuit, quia in Deo semper vivit. Non desiderat magnopere sapientiam mundanam, *a* quia habet interius docentem sanctum Spiritum: *b* perfectum tollit imperfectius. Non timet fulgura & tempestates, incendia

(*a*) 1. *Joh.* 2, 20. (*b*) 1. *Cor.* 13, 10.

dia & aquarum vaſtitates, triſtes planetarum configurationes, & luminarium cœleſtium obſcurationes, quia ſupra Naturam evectus in Chriſto fide recumbit, in Chriſto vivit. Non abſtrahitur blanditiis ſeculi, quia audit in ſe ſuaviorem vocem Chriſti. Non timet Diaboli potentiam, quia divinam ſentit indulgentiam; fortior eſt, qui in ipſo vivit & vincit, quam Diabolus, qui vincere eum fruſtra ſatagit. Non ſequitur carnis illecebras, quia in Spiritu vivens Spiritus ſentit divitias; mortificat & *a* crucifigit carnem Spiritus vivificatio. Non metuit Diabolum accuſatorem, quia Chriſtum novit eſſe *b* ſuum interceſſorem. Hanc veram quietem animæ noſtræ velit concedere autor & dator illius unicus, Dominus noſter, Deus in ſecula benedictus.

(*a*) *Gal.* 5, 24. (*b*) 1. *Joh.* 2, 2.

XXXIII.
DE CONSCIENTIÆ PURITATE.
MENS RECTI CONSCIA VITA EST.

IN omni tuo opere maximam curam habe conſcientiæ: Si inſtigat te Diabolus ad quoddam peccatum, internum conſcientiæ reverere judicium. Si times in aliorum hominum peccare præſentia, multo magis à peccato revocet te propria conſcientia: internum teſtimonium efficacius eſt quam externum: quamvis ergo peccata tua fugiant omnium hominum accuſationem, nunquam tamen effugere poteris internam conſcientiæ teſtificationem. Conſcientia erit inter libros illos, quos Apocalypſis *a* teſtatur in judicio olim aperiendos: *primus* liber eſt divinæ omniſcentiæ, in quo manifeſte relucebunt omnium omnino hominum facta, verba, cogitata: *ſecundus b* li-

(*a*) *Apoc.* 20, 12. &c. 5. (*b*) *Apoc.* 13, 8.

liber est Christus, qui est vitæ liber; in hoc qui scriptus invenitur per veram fidem, is ab Angelis deducetur in curiam cœlestem: *tertius* liber est Scriptura, juxta cujus præscriptum judicabuntur fides & nostra opera: sermo, quem locutus sum, dicit Salvator, *a* judicabit eos in die novissimo: *quartus* liber continet externa testimonia pauperum, qui *b* in die judicii recipient nos in æternum tabernaculum: *quintus* liber continet internum testimonium conscientiæ, *c* quia conscientia est codex, in quo omnia scribuntur peccata: Grande volumen conscientia, cui omnia stylo veritatis inscripta; non poterunt damnati negare peccata sua in judicio, quia propriæ conscientiæ convincentur testimonio: non poterunt fugere à peccatorum accusatione, quia tribunal conscientiæ inter-

(*a*) *Joh.* 12, 48. (*b*) *Luc.* 16, 9. (*c*) *Bernh. de cons. ad Cler. Cap.* 3.

ternum eſt & domeſticum. *a* Conſcientia pura eſt ſpeculum animæ clariſſimum, in quo ſe intuetur & Deum: veri luminis ſplendorem ſordens acies videre nequit. Hinc dicit Salvator: *b* beati mundi corde, quia Deum videbunt. *c* Sicut pulchra & munda facies hominis aſpectui grata: ita pura & munda conſcientia coram oculis Dei accepta, ſed putrefacta conſcientia vermes progignit immortales. *d* In præſenti igitur conſcientiæ vermis ſentiendus & ſuffocandus eſt, non autem in immortalitatem fovendus: ad hunc librum emendandum omnes alii inventi ſunt: quid prodeſt magna ſcientia, ſi adſit immunda conſcientia; non ex ſcientiæ, ſed conſcientiæ libro judicaberis aliquando coram Dei throno: ſi hunc librum recte vis

(*a*) *Nazianz. Leo Rom.* (*b*) *Matth.* 5, 8. (*c*) *Camer. part.* 1. *med. Hiſt.* 1. *Chryſoſt.* (*d*) *Bernh. de conſ. c.* 6. *Id. de inter domo. c.* 28.

vis ſcribere, ſcribe eum ſecundum exemplar libri vitæ: Liber vitæ Chriſtus eſt; ad normam doctrinæ Chriſti conformetur profeſſio tuæ fidei: ad normam vitæ Chriſti conformetur vitæ tuæ ductus. *a* Bona erit conſcientia, ſi habeat in corde puritatem, in ore veritatem, in actione honeſtatem: *b* Conſcientia pro lucerna utere in omnibus actionibus; ea enim, quæ in vita bonæ ſint actiones, quæ malæ, oſtendet penitus. *c* Fuge hoc conſcientiæ judicium, in quo idẽ ſimul reus, actor, teſtis, judex, tortor, carcer, flagellum, executor, carnifex: quodnã hic poſſit eſſe effugiũ, ubi ipſa teſtis eſt, quæ accuſat, & nihil poteſt eſſe occultum ei, qui judicat? quid prodeſt, ſi omnes te laudent, & cõſcientia accuſet? quid obeſſe poterit, ſi omnes derogent, & ſola conſcientia defendat? ſolus hic judex unicui-

(*a*) *Ibid. cap.* 27. (*b*) *Nilus Epiſc. in l. præcep.* (*c*) *Cypr. ſer. de cæna Domin. Gregor.*

cuique ad accuſandum, ad judicandum, ad damnandum ſufficit: incorruptus hic judex nec flecti poteſt precibus, nec corrumpi muneribus: *a* Quocunque vadis, ubicunque es, ſemper conſcientia tua tecum eſt, ſecum portans quicquid in ea poſuiſti, ſive bonum, ſive malum: ſervat hæc vivo, & reſtituit defuncto depoſitum, quod accepit ſervandum: *b* Sic vere inimici hominis domeſtici ejus, ſic in domo propria & à propria familia habes accuſatores, obſervatores & tortores. Quid prodeſt vivere in copia omnis abundantiæ, & torqueri flagello conſcientiæ? *c* fons humanæ felicitatis & miſeriæ in ipſo annimo eſt: quid prodeſt febribus æſtuanti in aureo collocari lecto? quid prodeſt conſcientiæ facibus agitato externæ felicitatis lætari cumulo? quanta cura eſt ſalutis æternæ, tanta etiam cura ſit conſci-

(*a*) *Bernh. in med. devot. c.* 13. (*b*) *Matth.* 10, 36. (*c*) *Lud. Viv. in ſat. un.*

ſcientiæ: amiſſa enim bona conſcientia, amittitur fides; amiſſa fide, amittitur Dei gratia, amiſſa Dei gratia, quomodo poteſt ſperari vita æterna? Quale eſt conſcientiæ tuæ teſtimonium, tale expectabis à Chriſto judicium: Peccatores, nullo arguente, vel in medium quippiam afferente, ipſi ſui ipſorum accuſatores fient. *a* Sicut ebrius, quando multum vini ingurgitat, nullum ſentit à vino damnum, poſtea autem è ſopore excitatus, ebrietatis ſentit incommodum: ita & peccatum, donec conſummetur, obtenebrat mentem, & quaſi denſa nubes veri judicii ſplendorem obfuſcat: poſtea demum inſurgit conſcientia, & quovis accuſatore gravius arrodit; tria ſunt judicia: judicium mundi, judicium tui, & judicium Dei. Ut autem non potes effugere judicium Dei: ita etiam non poteris effugere judicium tui, licet aliquando effugias judicium mun-

(*a*) *Chryſoſt. homil.* 46. *in Gen.*

mundi : nulli obsistunt parietes, quo minus hic testis videat tuas actiones: quæ te poterit defendere excusatio, quando damnat interna accusatio? tranquillitas conscientiæ initium est vitæ æternæ, verius & jucundius gaudebis de bona conscientia inter angustias, quam de mala inter delitias: contra omnem malevolorum obtrectationem confidenter obvertere poteris conscientiæ excusationem: *a* te interroga de te, quia te longe nosti melius quam ullus homo alius: *b* in extremo judicio quid proderunt aliorum falsæ laudes, quid oberunt aliorum falsæ obtrectationes? Dei & tuo stabis aut cades judicio, non aliorum stabis aut cades testimonio. Nunquam finitur conscientia, quemadmodum nunquam finitur anima: tamdiu prement damnatos infernales pœnæ, quamdiu durabit accusatio con-

(*a*) *August.* (*b*) *Bernh. Epist.* 1. *col.* 736. *Idem in præfat. de int. domo.*

conſcientiæ: nullus exterior ignis tantopere corpus affligit, quam graviter hæc interior flamma animam adurit: æterna eſt anima, quæ uritur, æternus conſcientiæ ignis, qui urit: nulla exteriora flagella corpori tam ſunt moleſta, quam gravia ſunt animæ hæc interiora verbera. Fuge ergo peccati reatum, ut conſcientiæ effugias cruciatum: dele per veram pœnitentiam peccata ex libro conſcientiæ, ne in judicio ea legantur, & metuenda ſit tibi vox divinæ ſententiæ: extingue vermem conſcientiæ per devotionis fervorem, ne morſus ejus æternum tibi pariat horrorem: extingue hunc interiorem ignem per lachrymas, ut ad cœleſtis refrigerii pervenias delicias. O Domine, da ut militemus bonam *a* militiam, retinentes fidem ac bonam conſcientiam, ut tandem ſalvi & incolumes perveniamus ad cœleſtem patriam.

(*a*) 2. *Tim.* 4, 7.

XXXIV.

XXXIV.
DE STUDIO VERÆ HUMILITATIS.
QUID HOMO? QUID BULLA? NIHIL SUNT.

COgita, o fidelis anima, miſeram hominis conditionem, & facile effugies omnem ſuperbiæ tentationem. *a* Homo vilis in ingreſſu, miſer in progreſſu, flebilis in egreſſu; impugnatur à Dæmonibus, laceſſitur tentationibus, allicitur delectationibus, dejicitur tribulationibus, implicatur criminibus, denudatus eſt virtutibus, irretitus malis conſuetudinibus. Unde ergo ſuperbis terra & cinis? quid fuiſti ante ortum? ſperma fœtidum: quid in vita? ſaccus ſtercorum: quid poſt mortem? cibus vermium. Si quid in te boni, id tuum non eſt, ſed Dei: *b* nihil tuum eſt

(a) Sir. 10, 9. Bernh. in med. c. 3. (b) Id. ſer. 27. de mod. ben. viv. Kemp. in hort. roſ. cap. 11. Bernh. tract. ſuper Ego vitis c. 2.

eſt niſi peccata: nihil ergo arroges tibi ex his, quæ in te ſunt, præter peccata tua: Fatuus & infidelis eſt ſervus, qui de bonis Domini ſui vult ſuperbire: Vide, ô homo, exemplum Chriſti, famulatur ipſi omnis gloria cœlorum, imo ipſe ſolꝰ eſt vera gloria, & tamen omnem mundanã à ſe abjicit gloriam; clamat is adhuc: *a* Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde. Verus Chriſti amator eſt etiam Chriſti imitator: cui Chriſtus charus eſt, huic etiam ipſius humilitas chara eſt. Erubeſcat & confundatur ſuperbiens ſervus, quando ita humilis eſt cœlorum Dominus. *b* Dicit de ſeſe Salvator noſter, quod ſit lilium convallium: ſcilicet, quia ipſe, qui nobiliſſimus flos eſt, naſcitur & conſervatur non in montibus, id eſt, ſuperbis & elatis cordibus, ſed in humilioribus vallibus, id eſt, contritis & humilibus piorum

(*a*) *Matth.* 11, 29. (*b*) *Cant.* 2, 1.

orum mentibus: *a* vere enim anima humilis eſt ſeſſio & delectabile cubile Chriſti, ut dicit quidam ſanctus: Vera gratia non extollit, ſed humiliat: nondum ergo particeps veræ gratiæ, qui non ambulat in cordis humilitate: fluentá divinæ gratiæ deorſum, non ſurſum fluunt. Ut aquæ per Naturam non quærunt loca ſublimia: ita gratia divina non fluit niſi ad corda humilia. Dicit Pſalmus: *b* Dominus in altis habitat, & humilia reſpicit in cœlo & in terra: vere hoc mirabile eſt, quod ad ſummum & altiſſimum Deum non niſi humilitate appropinquamus. Qui ſibi vilis, Deo magnus: qui ſibi diſplicet, Deo placet. *c* Ex nihilo fecit Deus cœlum & terram: ut fuit in creatione, ita adhuc eſt in hominis reparatione: creat Deus *d* ex nihilo, re-

(*a*) *Aug. de ſalutar. doc. cap.* 23. *Theol. myſt. l.* 1. *p.* 2. *cap.* 16. *Bernh. l.* 2. *de conſ.* (*b*) *Pſ.* 113, 5. (*c*) *Bernh. ſer. conſ. cap.* 20. (*d*) *Heb.* 11, 3.

reparat ex nihilo. Ut ergo particeps fias regenerationis, & reparationis, sis nihil in oculis tuis, id est, nihil tibi tribuas, nihil arroges. Omnes sumus infirmi & fragiles, te autem judica fragiliorem neminem. *a* Non nocet, si omnibus te infirmiorem judices, & per humilitatem omnibus te suppones, sed plurimum nocet, si vel uni te præponas. *b* Viginti quatuor seniores, id est, tota triumphans Ecclesia abjicit coronas ante thronum, omnem justitiam & gloriam Deo tribuit, quid ergo faciat vilis peccator? *c* Seraphin, sancti angeli, velant facies suas in aspectu majestatis divinæ, quid faciat homo tam vilis creatura, & creatori suo tot modis ingrata? Christus verus & unigenitus DEI Filius ex admiranda humilitate descendit de cœlo, & fragilem nostram Naturam in se suscepit, demisit se in carnem, *d* in mor-

(*a*) *Kemp.* 1. *de Imit. Christi. cap.* 7. (*b*) *Apoc.* 4, 4. (*c*) *Es.* 6, 2. (*d*) *Phil.* 2, 8.

mortem, in crucem: quid faciat homo, qui per peccata tam longe receſſit à Deo? vide, o fidelis anima, quam ſtupenda humilitate ſuperbiam noſtram Chriſtus ſanaverit, & tu adhuc ſuperbire cupis? per *a* humilitatis & paſſionis viam Chriſtus ingreſſus in gloriam, & tu in ſuperbiæ via incedens ad cœleſtem gloriam pervenire te poſſe ſtatuis? Diabolus propter ſuperbiam ex cœleſti regno expulſus, & tu, cum in cœleſti gloria nondum fueris, per ſuperbiæ viam eo contendis? *b* Adamus propter ſuperbiam ex paradiſo ejectus, & tu ad cœleſtem paradiſum per ſuperbiæ viam pervenire cupis? *c* Optemus potius ſervire & lavare pedes aliorum cum Chriſto, quam digniorem locum ambire cum Diabolo: humiliemur in hac vita, ut exaltemur in futura. *d* Non quid habeas, ſed quid tibi deſit

(*a*) *Luc.* 24, 26. (*b*) *Gen.* 3, 34. (*c*) *Gran. de amore Dei f.* 4. (*d*) *Beda.*

sit , o fidelis anima, semper cogita; magis dole de virtutibus, quas non habes, quam quod gloriari velis de virtutibus , quas habes : virtutes cela , peccata manifesta: *a* valde enim metuendum est, ne si thesaurum operum bonorum manifestes per gloriam , Diabolus tibi eum deprædetur per superbiam. Ignis optime servatur, si cinere tegatur ; ita ignis charitatis nunquam securius custoditur, quam cum cineribus humilitatis sepelitur. Superbia est omnium peccatorum semen, caveas ergo extolli, ne contingat, te in abyssum peccatorum præcipitari. Superbia est gratum cubile Diaboli, caveas ergo extolli , ne contingat, miseram tuam animam â Diabolo subjugari. Superbia est ventus urens & exsiccans divinæ gratiæ fontem , caveas ergo extolli, ne contingat te á divina gratia separari. Sana , o Christe , tu-

O mo-

(*a*) *Bernh. ser.* 37. *de modo bene viv.*

morem superbiæ nostræ! sancta tua humilitas sit nobis vitæ æternæ meritum, sit etiam vitæ nostræ exemplum: fides nostra humilitatem tuam firmiter amplectatur, & vita nostra eandem constanter sequatur.

XXXV.

DE AVARITIA FUGIENDA.

QVIS VERE PAUPER? AVARUS.

QVam grata est salus animæ, tam odiosum esse debet peccatum avaritiæ: avarus omnium pauperrimus est; quia tam deest illi quod habet, quam quod non habet: avarus est omnium afflictissimus; quia in neminem bonus est, in se autem pessimus. *a* Initium omnis peccati superbia, radix malorum omnium *b* avaritia: illa per aversionem à Deo, hæc per conversionem ad crea-

(*a*) *Sir.* 10, 15. (*b*) 1. *Tim.* 6, 10.

creàturas; *a* pariunt divitiæ ſudorem in acquirendo, creant timorem in poſſidendo, pariunt dolorem in amittendo, & quod pejus eſt, avarorum labor non ſolum periturus, ſed etiam peremtorius; aut divitiæ te deſerunt, aut tu illas. *b* Si ergo ſperas in divitiis, quæ erit ſpes tua in hora mortis? quomodo animam tuam Deo credes, ſi corporis tui curam ei non credis? omnipotenti Deo curæ es, quare dubitas, ne ſuſtentare te poſſit? ſapientiſſimo Deo curæ es, quare ambigis, quomodo te ſuſtentare velit? largiſſimo Deo curæ es, quare dubitas, an ſuſtentare te velit? *c* habes ſyngrapham Chriſti, univerſorum in cœlo ac terra Domini, nihil eorum, quæ opus ſunt homini, defuturum iis, *d* qui quærunt regnum DEI: confide huic Chriſti

(*a*) *Savan. in Pſal.* 80. *Hieron.* (*b*) *Bernh. de conſ.* 1, 15. (*c*) *Lud. Viv. in introd. ad ſap. th.* 326. (*d*) *Matth* 6, 33.

promiſſo, non fallet: *a* eſt enim veritas. *b* Avaritia eſt ſumma idololatria, quia creaturas in locum Dei collocat: avarus fiduciam Deo debitam ad creaturas transfert, quicquid plus diligitur quam Deus, id Deo præfertur, quicquid Deo præfertur, id in locum Dei collocatur: Eſau *c* jus primogenituræ vendebat edulio: ita multi hæreditatem regni cœleſtis à Chriſto partam amittunt pro acquirendis temporalibus bonis. Judas *d* Chriſtum vendidit triginta argenteis, avari gratiam Chriſti pro temporalibus vendunt divitiis: quomodo poteſt aſpirare ad regnum cœlorum, plenus quotidie ſiliquis porcorum? quomodo poteſt, ad DEum cordis elevatione contendere, qui animæ quietem in divitiis ſtudet invenire? Divitiæ *e* ſunt ſpinæ, dicit Veritas: qui ergo amat divias, is ve-

(*a*) *Joh* 14, 6. (*b*) *Coloſſ.* 3, 5. (*c*) *Gen.* 25, 33. (*d*) *Matth.* 26, 15. (*e*) *Matth.* 13, 1. 22.

vere amat ſpinas: o ſpinæ, quam multas ſuffocatis animas? Spinæ impediunt ſeminis proventum: ita divitiarum ſolicitudo ſpiritualem verbi impedit fructum. Spinæ corpus puncturis affligunt: ita divitiæ animum curis angunt. Periturus es, ſi perituros ſolum colligis theſauros. *a* Qui in terris theſauros congregant, ſimiles ſunt iis, qui fruges ſuas in imis & humidis locis recondunt, non animadvertentes, fore, ut ibi quam citiſſime putreſcant. Quam ſtolidi ſunt, qui in divitiis finem deſideriorum ſuorum collocant! *b* quomodo res corporalis animam, quæ Spiritus eſt, implere poſſit, cum potius ſpiritualis Natura virtute propria ſic comprehendat corporalia, ut nulla quantitate diſtendatur? Anima ad æternitatem creata eſt, injuriam ei facis, ſi deſideriorum ejus finem in temporalibus & momentaneis conſtituis. Ani-

 ma

(*a*) *Auguſt. in Pſ.* 48. (*b*) *Billius in Anthoc.*

ma quo magis ad DEum elevatur, eo magis ab amore divitiarum abſtrahitur: omnia, quo cœleſtibus viciniora ſunt, eo minus cupiunt & congregant pauciora: ſicut *a* volatilia cœli nec ſerunt, nec metunt: magnum eſt indicium, quod anima cogitet cœleſtia, ſi parvi æſtimat & contemnit bona terreſtria; Mures & reptilia congerunt in cavernas, deterioris enim conditionis ſunt & ignobilioris Naturæ quam aves: Manum ſignum, quod anima à DEo averſa, & terrenis affixa, ſi divitiis inordinato amore adhæret. Animam tibi dedit DEus, & tu carnis curam ei non concredis! volucres cœli paſcit Deus, & tu dubitas, an velit te ſuſtentare, cum ſis ad imaginem ipſius creatus? Lilia *b* agri veſtit DEUS, & tu dubitas, an proſpecturus ſit tibi de veſtibus? pudeat non poſſe efficere fidem & rationem in homine, quod naturalis inſtinctus efficit in volucre?

(*a*) *Matth.* 6, 26. (*b*) 6. 29.

lucre? *a* Nec ſerunt, nec metunt volucres, ſed corpuſculi ſui curam DEO committunt: avari verbis Dei fidem non adhibent, antequam ſibimetipſis de ſuſtentatione proſpiciant. Avarus eſt *injuſtisſimus*: quare? quia *b* nihil ſecum in mundum intulit, & tamen ita de bonis terrenis eſt ſolicitus, ac ſi plurima omnino ex mundo ſecum auferre velit. Avarus eſt *ingratisſimus*: quare? quia multis Dei fruitur bonis, & nunquam ad bonorum datorem cordis fiducia evehitur. Avarus eſt *ſtolidisſimus*: quare? quia relinquit verum bonum, ſine quo nihil vere bonum, & adhæret ei, quod ſine Dei gratia non eſt bonum. *c* Qui terrenorum obſtringitur amore, non poſſidet, ſed poſſidetur ipſe. Avaritia nec copia nec inopia extinguitur: inopia ideo non minuitur, quia habendi creſcit deſide-

(*a*) 6. 26. (*b*) 2. *Tim.* 6, 7. (*c*) *Auguſtin. ſent.* 197. *Salluſt. de conjur. Catil.*

derium, quando obtineri nequit, quod diu eſt deſideratum: copia ideo non minuitur, quia avarus, quanto magis acquirit, tanto amplius quærit; quando acquiritur, quod ab avaritia deſiderabatur, ſimul nova deſiderandi materia ſubminiſtratur: *a* & ſic more ignis, cum ligna, quæ conſumit, exceperit, accreſcit: avaritia torrens eſt in principio parvus, ſed poſtea in immenſum creſcit: fige ergo divitiarum cupiditati terminum, ne cupiditas iſta ad æternum te trahat exitium. *b* Multi in hac vita devorant, quod poſtea apud inferos digerant: multi dum ſitiunt lucrum, ad præſentiſſimum currunt interitum. *c* Hæc cogitans devota anima, quantum potes, fuge ab avaritia, nihil de bonis ad judicium tecum feres, niſi quod pauperibus dediſti: ne deneges pauperibus peritura & caduca tua bona, pro quibus Chriſtus vitam dare non re-

(*a*) *Gregor. in moral.* (*b*) *Aug. in Pſ.* 41. (*c*) *Leo ſerm.* 9. *de paſſ.*

recusavit: da pauperi, ut des tibi: quicquid pauperi non dederis, habebit alter. *a* Nimis est avarus, cui non sufficit Dominus: nondum vere sperat cœlestia, qui magni æstimat bone terrestria: quomodo *b* pro fratre poneret animam, qui fratri petendi denegat corporalem substantiam? thesaurus cœli est manus pauperis, quod suscipit, ne in terra pereat, in cœlo ponit: Vis gratum Christo præstare officium? exhibe pauperi beneficium: *c* membris quod bene fit, id tanquam sibi factum caput accipit. Dicit tibi Christus, *d* da mihi de eo, quod dedi de me; fac bonum de bono, unde non es bonus, ut acquiras tibi bonum: largire terrena, ut ea serves, quia ea parce nimis servando amittes. Audi Christum monentem, ne cogaris in judicio eum au-

(*a*) *Bernh. serm.* 46. *de mod. bene viv.* (*b*) 1. *Joh.* 3, 1. 16. (*c*) *Matth.* 25. 2, 40. (*d*) *Aug. ser.* 5. *de verb. Dom.*

audire dicentem: *a* ite in æternum ignem maledicti, quia non cibastis me, quando esurivi. Sanctum semen Eleemosyna, *b* prout parce vel large fuit sparsum, messis erit vel parca vel copiosa: si vis esse in numero ovium, exhibe etiam ovibus beneficium. *c* Terreant te hœdi ad sinistram constituti, non quia rapuerunt, *d* sed quia non paverunt. Inclina, ô Deus, cor nostrum ad testimonia tua, & non ad avaritiam.

(*a*) *Matth.* 25, 41. (*b*) 2. *Cor.* 9, 6. *Gal.* 6, 8. (*c*) *Nazianz. in* 12. *Luc.* (*d*) *Ps.* 119, 36.

XXXVI.

DE PROPRIETATIBUS VERÆ CHARITATIS.

SANCTOS DILECTIO SIGNAT.

Vera & sincera charitas est constans piorum proprietas: nullus Christianus sine fide, nulla fides sine chari-


ri-

ritate; ubi non eſt charitatis ſplendor, ibi etiam non eſt fidei fervor: remove lucem à Sole, & removere poteris charitatem á fide. Charitas eſt actus exterior interioris vitæ hominis Chriſtiani: corpus mortuum eſt ſine reſpiratione: *a* ita fides mortua eſt ſine dilectione. Non eſt Chriſti, *b* qui non habet Spiritum Chriſti; non habet Chriſti Spiritum, qui non exerit charitatis donum, quia fructus *c* Spiritus eſt charitas: arbor *d* bona non cognoſcitur, niſi ea fructus proferre bonos perſpicitur: Charitas *e* vinculum eſt Chriſtianæ perfectionis; ſicut corporis membra per Spiritum, id eſt, animam conjunguntur ita vera corporis myſtici membra per Spiritum ſanctum charitatis vinculo uniuntur. *f* In templo Salomonis omnia auro obducta erant intus & exterius: ſic in ſpirituali Dei templo cha-

(*a*) *Jac.* 3, 26. (*b*) *Rom.* 8, 9. (*c*) *Gal.* 5, 22. (*d*) *Matth.* 7, 16. (*e*) *Col.* 3, 14. (*f*) 1. *Reg.* 6, 21.

charitate omnia ornata ſint intus & exterius: charitas moveat cor ad compatiendum, charitas manum moveat ad elargiendum: non ſufficit compaſſio, ſi non accedat exterior elargitio; nec ſufficit elargitio exterior, ſi non accedat compaſſio interior: *a* omnia accipit fides à Deo, charitas viciſſim omnia ſua donat proximo: per fidem *b* divinæ Naturæ conſortes reddimur, Deus *c* autem charitas eſt; Ubi ergo non ſe exerit charitas exterius, nemo credat, quod adſit fides interius. Nemo in Chriſtum credit, qui non Chriſtum diligit: nemo diligit Chriſtum, niſi qui etiam diligit ſuum proximum. Nondum vera cordis fiducia apprehendit Chriſti beneficium, qui proximo debitum denegat officium. Non eſt vere opus bonum, *d* quod non procedit ex fide: nec eſt vere opus bonum, quod non procedit

(*a*) *D.Luther.paſſim.*(*b*) 2.*Pet.* 1, 4. (*c*) *Joh.* 4, 1. (*d*) *Rom*, 14, 23.





Da Deus ut Sodomam fugiā, quæ mundus iniquus
In nobis Sodoma est. Debita nostra caro est
Aller Welt Pracht Ehr u. Ruhm
Sodom sich vergleichet.
Wer sucht Gottes Eigenthum
ewig Ehr erreichet.

dit ex charitate: *a* charitas enim ſemen eſt omnium virtutum: non eſt bonus fructus, niſi qui de radice charitatis exſurgit: charitas eſt ſpiritualis guſtus animæ, huic enim ſoli ſapit omne bonum, omne arduum, omne adverſum, omne laborioſum, charitatis guſtus etiam mortem facit ſuaviſſimam; quia *b* fortis ut mors dilectio, imo fortior quam mors, quia charitas Chriſtum deduxit ad mortem; charitas etiam vere pios, ut pro Chriſto mori non dubitent, excitat: omnia Dei opera procedunt ex charitate, etiam pœnæ ipſæ: ſic omnia opera Chriſtiani hominis ex charitate procedant. In omnibus creaturis propoſuit nobis DEus ſpeculum charitatis: Sol & ſidera non ſibi, ſed nobis lucent. Herbæ non ſeipſas, ſed corpora noſtra purgant. Aer, aqua, bruta & omnes creaturæ homini in-

(*a*) *Aug. de ſpir. lit. c.* 14. *Theol. myſt. p.* 145. (*b*) *Cant.* 8, 6. *Bernh. c.* 3. *ſuper ego ſum vitis.*

ſerviunt: ita quoque teipſum totum exhibeas proximi miniſterio. *a* Non proſunt linguæ ſine charitate, quia ſine charitate linguarum cognitio inflat, charitas autem ædificat. *b* Non prodeſt ſcientia myſteriorum ſine charitate, quia etiam Diabolo nota ſunt myſteria, charitas autem ſolius vere pii propria. *c* Fides etiam montes transferens non prodeſt ſine charitate, quia talis fides eſt ſolum miraculoſa, non ſalvifica. Charitas dono miracula faciendi præſtat, quia illa verorum Chriſtianorum indubitata nota, hoc impiis interdum conceditur. *d* Non prodeſt omnes facultates pauperibus diſtribuere, ſi non adſit charitas, quia hypocritica eſt actio exterior, ſi non adſit charitas interior. Non proſunt rivi beneficentiæ, ſi non oriantur ex charitatis fonte. *e* Charitas patiens eſt, quia nemo facile iraſcitur ei, quem vere diligit; charitas benigna eſt,

(*a*) 1.*Cor*.13,1. (*b*) *v*.2. (*c*) *ib*. (*d*) *v*.3. (*e*) *v*.4.

eſt, qui enim cor ſuum, bonum animæ ſummum, donavit per charitatem, quomodo minora bona exteriora negaret? charitas non æmulatur, quia alterius bona aſpicit tanquam ſua: charitas non agit perperam, quia nemo facile eum lædit, quem vere ex animo diligit: charitas non inflatur, quia per charitatem unius corporis membra reddimur, membrum autem unum alteri ſe non præfert: *a* charitas non gerit ſe indecenter, quia irati proprium eſt indecenter ſe gerere, charitas autem iræ frænum eſt: charitas non quærit, quæ ſua ſunt, quia quod quis amat, ſibi ipſi præfert, ejusq; commoda magis quærit, quam ſua charitas non irritatur, quia e[illegible]erbia omnis ira, charitas autem int[illegible]lios ſe abjicit: charitas non cogitat [illegible] alũ, quia, cui quis malũ ſtruere cognoſcitur, eũ nondũ verè diligere convincitur: *b* charit. non gaudet ſuper injuſtitia, quia charitas aliorum miſeriam facit ſuam: *c* omnia ſuf-

 fert,

(*a*) *v*. 5, 6, (*b*) 1. *Cor*, 13, 6. (*c*) *v*. 7.

fert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet charitas. Quod enim sibi præstari charitas exoptat, id aliis præstare non recusat: *a* cessabunt linguæ, evacuabuntur prophetiæ, destruentur scientiæ, non cessabit charitas; sed ejus imperfectio in futura vita complebitur, & ejus perfectio in futura vita augebitur. Duo altaria constitui DEUS jusserat in tabernaculo, ignis ab exteriori transferebatur ad interius: duplicem Ecclesiam DEUS congregavit, militantem & triumphantem: ignis charitatis à militante olim transfertur ad triumphantem. Hæc cogitans, devota anima, sanctæ stude charitati: proximus quisquis sit, ... tamen est, *b* pro quo Christus mo... voluit. Quare ergo proximo deneg... charitatem impendere, cum Chr...us non dubitaverit vitam pro eo impendere? *c* Si vere Deum diligis, etiam imaginem ipsius

(*a*) 6. 8. (*b*) *Rom.* 14,15. (*c*) *Bernh. in med. cap.* 5.

ipsius diligere debes: Unum *a* spirituale corpus omnes sumus, sit ergo omnium unus spiritualis animus; iniquum est, ut dissideant in terris, qui aliquando una victuri sunt in cœlis: dum mentes consentiunt in Christo, voluntates etiam conjunctæ sint: Unius *b* Domini servi sumus, dissidere invicem non est æquum: mortuum est corporis membrum, quod alterius non sentit affectum: non se verum mystici corporis Christi membrum æstimet, qui alteri patienti non condolet. Unus *c* omnium pater Deus, quem à Christo edoctus quotidie *d* patrem compellis, quomodo is te verum agnoscet filium, nisi vicissim ipsius filios pro fratribus agnoscas? *e* hominem tibi à Deo commendatum, si dignus est, ama, quia dignus est, quem ames: sin indignus, ama ideo, quia DEUS dignus, [illegible] pareas: per amo-

(*a*) *Eph.* 4, 4. *Osiand. in illum loc.* (*b*) *v.* 5. (*c*) *v.* 6. (*d*) *Matth.* 6, 9. (*e*) *Lud. Viv. in introd. ad sap. th.* 383.

rem hominis inimici, amicus ostenderis Dei: non attende, quid faciat tibi homo, sed attende, quid tu feceris Deo: non attende injurias, quas infert inimicus, sed attende beneficia, quæ confert tibi is, qui jubet, *a* ut inimicum diligas. *b* Proximi sumus conditione terrenæ nativitatis, & fratres spe cœlestis hæreditatis, diligamus ergo invicem. Accende in nobis, ô DEUS, charitatis ignem per Spiritum tuum.

(*a*) *Matth.* 5, 44. 45. (*b*) *August. in Ps.* 25.

XXXVII.

DE STUDIO CASTITATIS

CHRISTI, MENS CASTA, CUBILE.

QUi vult esse verus discipulus Christi, sanctæ studere debet castitati. Casta & pura mens est benignissimus Deus, hunc castis invocare de-

debes precibus. *a* Dixit quidem ſapiens, quod corporis caſtimonia & animi ſanctimonia ſint duæ claves religionis & felicitatis. Si corpus non ſervatur purum & immaculatum à ſcortatione, non poterit anima exardeſcere in oratione. *b* Corpus noſtrum Spiritus ſancti templum eſt, cavendum ſummo ſtudio, ne polluamus ſanctum hoc ſancti Spiritus habitaculum: membra noſtra *c* Chriſti membra ſunt; cavendum, ne tollamus membra Chriſti, & faciamus membra meretricis. Domino *d* per fidem & caſtitatem adhæreamus, ut ſimus cum eo unus ſpiritus: non adhæreamus meretrici, *e* ne efficiamur cum ea unum corpus. *f* Sodomitæ, æſtuantes libidinibus, percutiebantur à Domino cæcitatibus, corporali ſcilicet & ſpirituali: eadem adhuc hodie hominum impurorum eſt pœ-

 na:

(*a*) *Beroſus Chald. l.* 5. (*b*) 1. *Cor.* 6, 19. (*c*) *6.* 15. (*d*) *6.* 17. (*e*) *6.* 16. (*f*) *Gen.* 9, 11.

na: *a* Sodomitarum libidines ſulphure & igne cœlitus delapſo vindicabantur: ſic DEUS fervorem pravæ iſtius concupiſcentiæ in ſcortatoribus æterno igne accendet, ignis *b* hic non extinguitur, ſed fumus tormentorum aſcendit, per omnia ſecula: *c* foris, id eſt, extra cœleſtem Hieroſolymam ſunt canes, id eſt, impuri & libidinoſi homines. Abluit nos Chriſtus pretioſo ſuo ſanguine in baptiſmo, cavendum ſummo ſtudio, ne impuris libidinibus nos contaminemus. Ipſa Natura duce, talia flagitia erubeſcunt impii perpetrare in conſpectu hominum, & tamen non erubeſcunt ea perpetrare in conſpectu Dei, & Angelorum: nulli *d* parietes oculos Dei Sole lucidiores impediunt, nulli anguli ſanctorum Angelorum præſentiam excludunt, nulli receſſus internum conſcientiæ teſtimonium tol-

(*a*) *G.* 24. (*b*) *Apoc.* 14, 11. (*c*) *Apoc. c.* 22, 15. (*d*) *Sir.* 23, 18.

tollunt: *a* Mirabile hoc est, quod ardor luxuriæ ascendat, quasi ad cœlum, cum tamen fœdor ejus descendat ad infernum; brevis voluptas ista æternum pariet dolorem, momentaneum est, quod delectat, æternum, quod cruciat: *b* brevis voluptas fornicationis, perpetua pœna fornicantis. Memoria crucifixi crucifigat in te carnem tuam: memoria gehennæ extinguat in te concupiscentiæ fervorem: lacrymæ pœnitentiæ extinguant in te libidinis adorem. *c* Configat carnem tuam divinus timor, ne te decipiat carnalis amor. Cogita, quod appetitus libidinis plenus sit anxietatis & vecordiæ, actus abominationis & ignominiæ, exitus pœnitudinis & verecundiæ: Non blandientem Dæmonis ad libidinem incitantis faciem, sed pungentem fugientis caudam respice: non co-

(*a*) *Grana.2. post Pent. conc. 2. ex Bet.* (*b*) *Beda* (*c*) *Bernh. Epist. 1. Idem de conb. cap. 12.*

cogita brevitatem delectationis; sed potius æternitatem damnationis. *a* Ama scientiam scripturarum, & vitia carnis non amabis: semper aliquid operis facito, ut, cum venerit tentator, te semper inveniat occupatum. *b* Davidem decepit in otio: *c* Josephum non poterat decipere in ministerio. Cogita instantem omnibus horis mortem, & facile spernes omnem carnis voluptatem. Ama temperantiam, & facile vinces pravam concupiscentiam: Venter mero æstuans cito despumat in libidinem: periclitatur in delitiis castitas: si ergo immodicis deliciis pascis carnem, nutris tui ipsius hostem. Sic nutrienda caro, ut serviat: sic domanda, ut non superbiat. Cogita judicii extremi terrorem, & facile extingues libidinis fervorem; revelabuntur *d* occul-

(*a*) *Hieron. Epist.* 4. 2. *Sam.* 11,2. (*b*) *Gen.* 39,8. (*c*) *C. Venter. dist.* 35. *ex Hier. Hugo de S. Vict.* (*d*) 1. *Cor.* 4,3.

culta cordium: quanto magis facta in occulto perpetrata? reddenda *a* erit ratio de verbis inutilibus, quanto magis de spurcis sermonibus? reddenda erit ratio de spurcis verbis, quanto magis de impuris factis? quam longa fuit vita tua, tam longa erit accusatio: quot fuerunt peccata tua, tot erunt accusatores: *b* Illæ cogitationes, quæ apud nos usu viluerunt, indiscussæ non manebunt. Quid ergo prodest scortationem tuam aliquandiu coram hominibus occultari, cum in die judicii omnium omnino oculis debeat revelari? quid prodest effugere tribunal judicis terreni, cum tamen non possit effugere tribunal judicis supremi? non poteris hunc judicem corrumpere muneribus, est enim Judex justissimus: non poteris eum precibus flectere, est enim Judex districtissimus: non poteris ex ipsius provincia & jurisdictione

(*a*) *Matth.* 11, 36. (*b*) *Bernh. de int. dom, c.* 38.

fugere, eſt enim Judex potentiſſimus: non poteris eum fallere vanis excuſationibus, eſt enim Judex ſapientiſſimus: non poteris à lata & promulgata ſententia appellare, eſt enim Judex ſupremus: erit ibi veritas in inquiſitione, *a* nuditas in publicatione, ſeveritas in executione.

Ergo devota Deo anima, ſemper obſervetur judicis hujus terror, ſic non decipiet te libidinis fervor: *b* ſis roſa charitatis, viola humilitatis & lilium caſtitatis: diſce *c* à Chriſto ſponſo tuo, humilitatem, diſce etiam ab eo caſtitatem: magna dignitas caſtitatis, quia in Chriſti corpore conſecrata eſt: magna dignitas caſtitatis, quia in carne præter carnem vivere facit: *d* Ut nihil vilius quam à carne vinci, ita nihil glorioſius, quam carnem vincere. Nec ſolum exteriores fugiendæ ſunt ſcortationes, ſed etiam impuræ fugien-

(*a*) *Bonav. in ſer.* (*b*) *Bernh.* (*c*) *Matth.* 11, 29. (*d*) *Eraſm. catec.* 6, *Hieron.*

endæ sunt cogitationes, quia DEUS non solum Judex exteriorum actuum, sed etiam interiorum cogitationum. Vultu sæpe læditur pietas, oculis sæpe læditur castitas, audi, quid dicat Veritas: Qui *a* aspicit mulierem, ad concupiscendum eam, jam fornicatus est cum ea. Quam difficilis hic pugna, tam gloriosa erit victoria: *b* difficile est libidinis incendia restinguere, impuberes stimulat, juvenes inflammat, senes & decrepitos fatigat; non aspernatur tuguria, non reveretur palatia: sed quam difficile est hic pugnare, tam laudabile erit triumphare: restinguendi statim primi impetus, nec fomenta pravarum cogitationum huic flammæ subministranda. *c* Apostolus cum censuerit vitiis omnibus reluctandum, adversus scortationem non congressus, sed fugam indicit *d* fugite, inquit, scorta-

(*a*) *Matth.*5,28. (*b*) *Bernh. de int. domo cap.*29. (*c*) *Camer. part.*1. *hist. medit. c.*9. (*d*) 1. *Cor.*6,18.

tationem. Quemadmodum enim peregrinus ficta ſimplicitate mendicus nos decipiendi gratia accedit, ſi eum non admittimus, recedit: ſi ſinimus eum ingredi, fit hoſpes, colligit vires; tandem, ſi aſſentiamur, fit dominus; ita motus pravæ concupiſcentiæ ſtimulant nos, ſi eis non blandimur, recedunt. Si non vis hunc hoſtem tibi dominari, non recipias eum in domum cordis tui. Conſerva nos, ô Deus, in animi ſanctitate & corporis caſtitate.

XXXIIX.

DE PRÆSENTIS VITÆ FUGACITATE.

HOMINUM QUID VITA? CYLINDRUS.

COgita, devota anima, vitæ hujus miſeriam & fugacitatem, ut cor tuum elevetur ad deſiderandam cœleſtem hæreditatem. Vita hæc dum creſcit, ſimul decreſcit: dum augetur, ſimul minuitur: quicquid ei acce-

cedit, ſimul etiam decedit. *a* Punctum eſt temporis, quod vivimus, & adhuc puncto minus, dum nos vertimus, immortalitas aderit. Sumus in hac vita tanquam in domo aliena: Non *b* habebat Abraham in terra Canaan habitandi fundum, ſed tantum ſepulchrum hæreditarium: ſic vita præſens locus eſt diverſorii & ſepulchri. *c* Vitæ hujus principium ſtatim mortis eſt exordium. Naviganti ſimilis eſt vita noſtra; qui navigat, ſive ſtet, ſive ſedeat, ſive jaceat, ſemper ad portum accedit propius, & eo vadit, quo impulſu navis ducitur: ſic & nos ſive dormientes, ſive vigilantes: ſive jacentes, ſive ambulantes: ſive nolentes, ſive volentes, per momenta temporum ſemper ad finem ducimur. Vita hæc potius mors eſt, quia ſingulis diebus morimur, ſiquidem ſingulis diebus aliquid de vita abſumimus. Plena

eſt

(a) Seneca.(b) Gen.23. (c) Ambroſ. Greg. in regiſt.

eſt hæc vita dolore præteritorum, labore præſentium, timore futurorum. *a* *Ingreſſus* in vitam flebilis, quia à lacrymis vitam auſpicatur infans, quaſi prævidens futura mala: *progreſſus* debilis, quia multi morbi affligunt, multæ curæ angunt: *egreſſus* horribilis, quia non egredimur ſoli, ſed *b* egrediuntur nobiſcum opera noſtra, & per *c* mortem egredimur ad ſeverum Dei judicium: conceptio noſtra eſt culpa, naſci miſeria, vivere pœna, mori anguſtia. *d* In ſordibus generamur, in tenebris fovemur, in doloribus parturimur: ante exitum miſeras oneramus matres: in exitu more vipereo laceramus: advenæ ſumus naſcendo, & incolæ vivendo, quia compellimur migrare moriendo. Prima pars vitæ no-

(*a*) *Bern. ſup. ego vitis. cap.* 1. *Aug.* 21. *de civit. Dei c.* 1. (*b*) *Apoc.* 14. 13. (*c*) *Hebr.* 9, 27. (*d*) *Bernh. de inter. domo cap.* 3. *Idem ser.* 4. *hebdo. panoſ. Aug. q.* 91. *in Lev.*

noſtræ ſeſe neſcit, media curis obruitur, ultima ſenectute moleſta premitur. *a* Omne vitæ tempus aut eſt præſens, aut præteritum, aut futurum. Si præſens, eſt inſtabile: ſi præteritum, jam nihil eſt: ſi futurum, eſt incertum. Putredo ſumus in exortu, bulla in omni vita, eſca vermium in morte: terram gerimus, terram terimus, terra erimus: naſcendi neceſſitas abjecta, vivendi miſera, moriendi dura. Corpus noſtrum eſt terrenum habitaculum, in quo habitant mors & peccatum, quæ ſingulis diebus illud conſumunt. *b* Tota noſtra vita eſt ſpiritualis militia, ſuperne in exititium excubant Dæmones, à dextra & ſiniſtra mundus oppugnat, inferius & interius caro excubat: militia eſt hominis vita, *c* quia in ea perpetua carnis & Spiritus lucta: Quæ ergo poſſit eſſe vera homi-nis

(*a*) *Solon Salaminius referente Guidone. Sidonius.* (*b*) *Job.* 7, 1. (*c*) *Gal.* 5, 37.

titia in hac vita, cum nulla in ea ſit felicitas ſecura? Quid poteſt nobis de præſentibus contingere ad delectationem, quando cunctis ſimul tranſeuntibus, non tamen tranſit, quod imminet? quando hoc penitus finitur, quod diligitur, & illud ſemper accedit propius, ubi dolor nunquam finitur? *a* Id vita longiori lucramur, ut plura mala faciamus, plura mala videamus, plura mala patiamur: id nobis præſtat vita longior, ut in extremo judicio ſit peccatorum accuſatio major: Quid eſt homo? mancipium mortis, viator tranſiens, bulla levior, momento brevior, imagine vanior, ſono inanior, vitro fragilior, vento mutabilior, umbra fugacior, ſomno fallacior. Quid eſt hæc vita? mortis expectatio, ludibriorum ſcena, miſeriarum mare, hemina una ſanguinis, quam quilibet levis caſus rumpit, quælibet febricula corrumpit. *b* Curſus

(*a*) *Nazianz. in fun. fratris Cæſar.*
(*b*) *Bapt. Mant.*

ſus vitæ labyrinthus, in illum ex utero ingredimur, per limina mortis abimus. Nil niſi terra ſumus, ſed terra eſt nil niſi fumus: ſed nihil eſt fumus, nos nihil ergo ſumus. Vita hæc ut vitrum fragilis: ut annis labilis: ut militia miſerabilis; & tamen multis apparet valde deſiderabilis. *a* Pretioſa nux apparet hæc vita exterius, ſed ſi cultro veritatis aperias, videbis, quod nil niſi vermes & putredo ſint interius. Naſcuntur poma circa regionem Sodomæ, quæ delectant exteriori pulchritudine, ſed contacta in pulverem abeunt; felicitas hujus vitæ exterius delectat, quod ſi preſſiori conſideratione eam tangas, fumo & pulveri ſimilis apparebit. Noli ergo, dilecta anima, ſummam tuarum cogitationum referre ad hanc vitam, ſed mente ſemper ad futuram aſpira lætitiam: Confer inter ſe breviſſimum temporis punctum, quod in hac vita nobis con-

(*a*) *Gregor.*

conceditur, cum infinitis & nunquam terminandis seculorum seculis, & apparebit quam stolidum sit, fugacissimæ huic vitæ adhærere, æternam negligere. Fugacissima est hæc vita nostra, & tamen in ea æterna vita acquiritur aut amittitur. *a* Miserrima est hæc vita, & tamen in ea æterna felicitas acquiritur aut amittitur. Calamitosissima est hæc vita, & tamen in ea æterna lætitia acquiritur aut amittitur. Si ergo ad æternam aspiras vitam, in hac fugaci vita eam toto corde desidera: Utere mundo, sed cor tuum non adhæreat mundo. Negotiare in hac vita, sed mens tua non sit affixa huic vitæ: non nocet usus mundanorum exterior, si non adhærescat illis amor interior. In cœlo Patria est, in mundo hospitium: noli ita delectari in diario hujus mundi hospitio, ut abstraharis à cœlestis patriæ desiderio. Mare est hæc vita, æterna portus; noli ita delectari in momentanea maris tranquillitate, ut non aspires ad por-

(*a*) *Cypr.tr.*1*.cont.Demet.* tum

tum tranquillitatis æternæ. Labilis est hæc vita, & suis amatoribus fidem non servat, quoniam præter omnem opinionem sæpius ab illis fugit, quare ergo tu fidem illi habere velis? periculosum est, si vel unius horæ tibi certo pollicearis securitatem, quia sæpissime in una illa hora fugacissima hæc vita finitur; tutissimum est, omni hora præsentis vitæ abitum expectare, & ad illum seria pœnitentia se præparare. *a* In hedera, qua delectabatur Jonas, parabat DEUS vermem, ut exaresceret: ita in rebus mundanis, quibus amore multi adhærescunt, nihil est stabile, sed vermes corruptionis in illis nascuntur. *b* Mundus tanta rerum labe jam contritus est, ut etiam speciem seductionis amiserit, nam quantum illi laudandi sunt ac prædicandi, qui dignati non sunt cum mundo florente florere, tantum increpandi & accusandi sunt, quos perire cum pereunte delectat.

(*a*) *Jon.* 4, 7. (*b*) *Ansh. Epist.* 45.

ctat. Abstrahe, ò Christe, corda nostra ab amore hujus seculi, & desiderium in nobis excita cœlestis regni.

XXXIX.

DE MUNDI VANITATE.

PRÆSTANT ÆTERNA CADUCIS.

NOli anima diligere ea, quæ sunt in mundo. *a* Peribit mundus, & omnia, quæ sunt in eo, *b* exurentur: ubi ergo tunc erit amor tuus? ama æternum bonum, ut in æternum vivere possis. *c* Omnis creatura vanitati subjecta est; qui vero amore adhæret creaturis, vanus efficietur & ipse: ama verum & stabile bonum, ut stabile & quietum reddatur cor tuum. Quid te delectat honor mundanus? *d* honorem hominum quærens; non pot-


(*a*) 1. *Joh.* 2, 17. 1. *Cor.* 7, 31. (*b*) 2. *Pet.* 3, 10. (*c*) *Rom.* 8, 20. (*d*) *Joh.* 5, 44.

poteſt honorari à Deo: qui honorem mundanum quærit, hic mundo ſe conformare cogitur; *a* qui mundo placet, Deo placere non poteſt: Peritura & inſtabilia ſunt omnia, quæ à perituris & inſtabilibus exhibentur, unde honor mundanus ſtabilis eſſe nequit. Quem pridie ad cœlum ſumma extulerunt gloria, illum ſæpe poſtridie ſumma afficiunt ignominia. Deo placere deſidera, ut à Deo honoreris, divinus honor verus eſt & ſtabilis. *b* Quid eſt homo inde melior, quod reputatur ab homine major? quantum unusquisq; eſt in oculis Dei, tantum eſt, & non amplius. *c* Chriſtus ad regnum quæſitus, fugiebat: quæſitus ad probrâ & ignominioſum crucis ſupplicium ſponte ſe offerebat: ut ergo Chriſto conformeris, magis te delectet mundi ignominia quam gloria. Qui propter Chri-

(*a*) *Gal.* 1, 10. (*b*) *Kemp. l.* 3. *de imitat. Chriſt. c.* 50. (*c*) *Joh.* 6, 15. *Bernh. ſerm.* 3. *de adv. Dom.*

Christum non spernit mundanum honorem, quomodo vitam suam pro eo profunderet? ad veram gloriam nulla alia via, nisi per contemtum mundanæ gloriæ, sicut *a* Christus per crucis ignominiam intravit in suam gloriam. Ames ergo contemni, vilipendi, repudiari in hoc seculo, ut honoreris in futuro. Quid de honore mundano sit habendum, Christus nos vita sua docuit: *b* famulatur ipsi omnis gloria cœlorum, imo ipse solus est vera gloria, sed ipse quasi abjicit gloriam: quanto ergo quis magis honoratur, & pluribus consolationibus corporalibus abundat, tanto debet profundius & intimius contristari, videns se eo magis abesse à Christi conformitate. Vana est laus humana, si accusat intus mala conscientia: quid prodest se-

(*a*) *Luc.* 24, 26. (*a*) *Bern. in tract. super ego bitis cap.* 2. *Idem de consid. mortis colum.* 1826. *Kemp. in hort. rosar. c.* 8.





Flos hæc vita mea est magis at quid flore cadu-
ce Vitæ florem jugiter ut mediter! (cum)

Gleich den Blumen fällt dahin
Unser irdisch Leben
drümb so soll mein Hertz v. Sinn
nach den Himel streben.

febricitanti, si in lectulo collocetur eburneo, cum nihilominus æstu torqueatur interno? verus honor & vera laus est testimonium conscientiæ tuæ. Nemo æquior factorum tuorum Judex, quam DEUS & conscientia tua, huic judicio facta tua probare desidera. Annon sufficit, te tibi notum esse, & quod maximum est, DEO? *a* quid vero divitias tantopere appetis? Nimis est avarus, cui non sufficit Dominus. Via hæc est vita ad æternam patriam: quid ergo prosunt magnæ opes? onerant magis viatorem, ut navem ingentia onera. Divitiæ servorum Dei est CHRIstus, Rex cœlorum. Verus thesaurus debet esse in homine, non extra ipsum; Verus thesaurus est, quem ad judicium illud universale tecum afferre poteris: omnia vero illa exteriora bona

(*a*) *Bernh. in serm.* 46. *de mod. bene vivend. Ludov. Viv. in introd. ad sap. Kemp. in hort. ros. c.* 8. *Bernh. de conv. c.* 15.

auferuntur à nobis in morte. Pereunt illa congregata; sed pejus perit congregator eorum, si non in DEO dives fuerit. *a* Pauper in mundum venisti, pauper decedes; quare medium à principio & fine distare debeat? usum spectare debent divitiæ? *b* & quam tenues sufficient? minimum donum gratiæ, & virtutum præstantius est cunctis terrenis divitiis; quare? quia virtus placet Deo, divitiæ non nisi per virtutem. Christi paupertas gratior nobis esse debet, quam totius mundi divitiæ: sanctificata est in Christo paupertas. *c* Pauper is erat in nativitate, pauperior in vita, pauperrimus in morte. Quid dubitas paupertatem mundi divitiis præferre, cum Christus regni cœlestis divitiis eam prætulerit? Quomodo animam suam credet DEO, qui carnis curam ei non credit? Quo-

(*a*) *Job.* 1, 21. (*b*) *Dionys. in Apoc.* 1. (*c*) *Bernh. sup. ego sitis. c.* 2.

Quomodo vitam ponet pro fratre, qui divitias ſuas illi non erogat: *a* pariunt divitiæ laborem in acceſſu, in poſſeſſione timorem, in amiſſione dolorem, ac, quod magis dolendum, labor avarorum non tantum periturus, ſed etiam peremtorius, docente Bernhardo. *b* Amor tuus, Deus tuus: ubi *c* theſaurus tuus, ibi etiam cor tuum: amans divitias illas corporales, mundanas, perituras, non poteſt amare divitias ſpirituales, cœleſtes, æternas: quare? quia illæ deprimunt cor hominis & deorſum trahunt, hæc vero ſurſum erigunt. *d* Amor rerum terrenarum viſcus eſt ſpiritualium pennarum, dixit quidam ex veris Chriſti amatoribus. *e* Uxor Lothi in ſtatuam ſalis converſa adhuc nobis concionatur ne retroſpiciamus ad ea, quæ ſunt in mun-

(*a*) *Idem de conſ. cap.* 12. (*b*) *Idem de conſ. cap.* 12. (*c*) *Matth.* 6, 21, (*d*) *Auguſt. ſerm.* 33. *de verb. Dom.* (*e*) *Gen.* 19, 26.

mundo, ſed recta via ad cœleſtem patriam contendamus. *a* Apoſtoli relictis omnibus Chriſtum ſequebantur: quare? quia cognitio verarum divitiarum tollit deſiderium falſo dictarum divitiarum. *b* Guſtato ſpiritu deſipit caro, cui Chriſtus charus vere eſt, huic mundus amarus. Quid vero voluptates tantopere expetit? Memoria crucifixi crucifigat in te omne voluptatis deſiderium. Memoria ardoris gehennæ extinguat in te omnem libidinis ardorem. Confer breviſſimum voluptatis momentum cum æternis ſuppliciis. Brutales ſunt voluptates & brutis nos ſimiles reddunt. *c* Non ſapit ei ſuavitas regni cœlorum, qui plenus quotidie ſiliquis porcorum. Mortificemus omnes ſenſuum voluptates, & *d* cum Abraham offeramus DEO in ſpirituali ſacrificio filium illum dilectum, id

(*a*) *Matth.*4, 22. (*b*) *Gregor.* (*c*) *Bernh. Epiſt.* 2. *Granat. de amore Dei c.* 3. (*d*) *Gen.* 22.

id eſt, animæ noſtræ cupiditates, voluntarie renunciando omnibus voluptatibus, & aſperitatem crucis amplectendo. Non plana & roſis ſtrata, ſed aſpera & ſpinis obſita via ad regnum cœlorum ducit. Exterior homo augeſcit per voluptates, interior per crucem & tribulationes: quantum augeſcit exterior, tantum minuitur interior; corpori ſerviunt voluptates, ſed vere piis minima eſt corporis cura, animæ maxima. Voluptates captivant cor noſtrum, ne in amore DEI liberum ſit. Non voluptates, ſed voluptatum contemtum tecum in morte auferes, & ad judicium adferes. Configat ergo carnem tuam divinus timor, ne te decipiat carnalis amor. *a* Obverſetur jugiter animo memoria judicii divini, ne te in ſervitutem abducat perverſum judicium appetitus ſenſitivi. Ne reſpice vultum ſerpentis blandientem, ſed cogita caudam acriter tandem pungentem. Per Chriſti

 gra-

(*a*) *Bernh. Epiſt.* 1.

gratiam vince, ut tandem a Chriſto victor coroneris.

XL.

DE UTILITATE TENTATIONUM.

CRESCIT SUB PONDERE PALMA.

UTile eſt fideli animæ, tentationibus in hoc ſeculo probari & confirmari. Ipſe *a* Salvator noſter cum Diabolo in eremo luctari voluit, ut pro nobis & in noſtram ſalutem eum ſuperaret, ac noſtri certaminis fidelis promachus eſſet. Deſcendit prius in infernum, poſtea demum aſcendit ad cœlum: Ita fidelis anima ad infernum tentationum prius deſcendit, ut ad cœleſtem gloriam aſcendat. *b* Non poterat Iſraeliticus populus promiſſam terram Canaan occupare, niſi devictis prius variis hoſtibus: nec ſibi fidelis anima cœlorum regnum promittat, niſi carnis, mundi & Satanæ victrix extiterit. *c* Tentatio pro-

(*a*) *Matth.* 4,1. *& ſeq.* (*b*) *Joſ.* 23,1. (*c*) 1. *Dionyſ. de cœl. Hier.* 3.

probat, purgat, illuminat. *Probat* tentatio, quia fides adversis concussa in salutis petra roboratur firmius, in boni operis ramos se propagat latius in liberationis spem erigitur altius. Abrahamo, cum filium immolare jussus, divino sese promptum gereret imperio, post tentationem Angelus Jehovæ apparet, dicens: *a* Nunc cognovi, quod Deum timeas, cum non peperceris filio tuo unico propter me, ita si dilectum animæ tuæ filium, videlicet propriam voluntatem, in tentationibus Deo obtuleris, vere timens Deum reputaberis, & in corde tuo divinum senties alloquium. Aurum probat ignis, fidem tentatio. Quam fortis sit miles, apparet in prælio: ita quam firma sit fides nostra, ostendit tentatio. Quando *b* ventorum turbines & procellosi aquarum fluctus in navem Christi irruunt, tunc apparet, quam exigua fide prædititi quidam ejus di-

(*a*) *Genes.* 22, 12. (*b*) *Matth.* 8, 24.

ſcipuli. *a* Iſraelitæ, quos ad Midianitas vincendos deduci jubebat Dominus, apud aquas prius probabantur: ita in aquis tribulationum ac tentationum prius probantur, qui ſuperatis hoſtibus in cœleſtem introducendi Patriam. *b* Quicquid ergo adverſi, quicquid tentationum fideli obtingit animæ, probationis, non reprobationis eſſe exiſtimet. Tentatio etiam *purgat:* ad peſtiferum amoris proprii & mundani humorem extrahendum multis granis aloes Medicus Chriſtus utitur: tribulatio ad perſcrutandam conſcientiam excitat, & peccata vitæ præteritæ in memoriam revocat: quin etiam, ſicut medicina corporis à contagioſis morbis, ita tribulatio præſervat à peccatis: ſemper quidem ad lapſus proclivis homo, magis tamen felicitatis, quam adverſitatis tempore; *c* multis ſpinæ ſunt divitiæ, evellit ergo DEUS ſpi-

(*a*) *Jud.* 7, 4. *& ſeqq.* (*b*) *Bernh. ſerm. in nativ. Mar. col.* 216. (*c*) *Matt.* 15, 22.

ſpinas, ne ſuffocare poſſint animas: multos varietas negotiorum mundanorum à divino impedit obſequio; immittit ergo Deus morbos, ut in ſe converſi incipiant mori mundo, vivere Deo. Pluribus excelſa vel opum vel honoris ab arce profuit ad mediæ ſortis cecidiſſe quietem. Multos honor mundanus ad ſuperbiam erigit; immittit ergo DEus contemtum, & ſuperbiæ fomentum ſubtrahit. Denique tentatio *illuminat.* Quam fragilis & vana ſit omnis mundi conſolatio, non niſi in tentationibus agnoſcimus. *a* Stephanus, cum lapidaretur, gloriam Chriſti videbat: ita in calamitatibus contritæ animæ ſeſe oſtendit Chriſtus: verum & ſolidum gaudium non niſi ab inhabitatione DEI; *b* DEus habitat in ſpiritu contrito & humiliato: afflictio eſt & tentatio, quæ ſpiritum conterit & humiliat, ideo verum & ſolidum gaudium

(*a*) *Actor.* 7, 55. (*b*) *Eſa.* 57, 15.

dium eſt in anima afflictorum. Tentatio eſt via quædam ad Dei agnitionem, ideo ait Dominus: Cum *a* ipſo ero in anguſtia, eruam eum, & videre faciam eum ſalutem meam. *b* Tobias cæcus nihil eorum, quæ ſupra, infra, adeoque nec ſeipſum videbat; ſed *c* à Deo per Angelum Raphaelem illuminatus cernebat omnia, quæ prius videre non poterat, non alio medicamine uſus, quam felle piſcis, ut per hoc declaretur, felle amaritudinis oculos noſtros liniendos atque illuminandos eſſe, ut ad veram noſtri ac bonorum mundanorum cognitionem perveniamus. Quare dicit Apoſtolus, *d* quod cognoſcamus in ænigmate, quia in tentationibus agnoſcimus, quod Deus electos ſub ſpecie triſtitiæ exhilaret, ſub ſpecie mortis vivificet, ſub ſpecie morborum ſanet, ſub ſpecie paupertatis ditet. *e* Grata ergo debet eſſe crux & tenta-

(a) Pſ. 91, 15. (b) Tob. 2, 11. (c) c. 12, 15. 1. Cor. 13, 12. (d) Bernh. (e) Greg. Nyſſ. de beat.

tatio ei, qui Christo pro nobis crucifixo & tentato non est ingratus. O bone Jesu, hic ure, hic percute, ut parcas in futuro. O bone Jesu, qui parcendo sæpius nos â te abjicis, feriendo effice, ut ad te redeamus. Affige & preme exteriorem hominem, ut interior crescat & vegetetur. Pugna, o bone Jesu, in me contra me: Sis moderator certantis, & corona vincentis: Sis robur & augmentum meæ fidei, quicquid in vita sentio adversi: Succurre, o bone Jesu, infirmæ meæ fidei, ita *a* namque apud Prophetam sanctum promisisti: sicut mater consolatur filios, ita consolabor vos. Majori cura fovet & nutrit mater infantem lactentem: ita, bone Jesu, erige & confirma languentem meam fidem. *b* Concede, ut plus apud me valeant internæ tuæ consolationes, quam omnium hominum & Diaboli contradictiones,

imo

(*a*) *Es.* 66, 13. (*b*) *VVellerus in ansid. contra tentat.*

imo & proprii cordis cogitationes. O clemens Samaritane, *a* infunde vinum mordens in vitia mea, ſed adde etiam oleum divinæ conſolationis: multiplica crucem, ſed adde etiam tolerandi virtutem.

(*a*) *Luc.* 10, 34.

CAP. XLI.

FUNDAMENTA PATIENTIÆ CHRISTIANÆ.

TANDEM PATIENTIA VICTRIX.

QUieſce, devota anima, & crucem à DEo tibi impoſitam patienter tolera. Paſſus is eſt pro omnibus, ab omnibus, in omnibus. *Pro omnibus* paſſus eſt, *a* etiam illis, qui paſſionem iſtam pretioſam contemnunt, & ſanguinem ejus pedibus conculcant nefarie. Paſſus eſt *ab omnibus.* A cœleſti Patre *b* traditur, *c* conteritur, *d* derelinquitur: à dilectis diſcipulis deſeritur: à populo

(*a*) *Heb.* 10, 29. (*b*) *Rom.* 8, 32. (*c*) *Eſ.* 53, 4. 5. (*d*) *Matth.* 27, 46.

populo (*a*) Judaico peculio ſuo rejicitur, qui latronem Barrabam ipſi præferunt: a gentibus crucifigitur, omnium omnio hominum delicta ſuſtinet, ideo etiam ab omnibus affligitur. Paſſus eſt etiam *in omnibus*. *b* Triſtis eſt anima usque ad mortem, *c* & ſenſu Judicii divini preſſa a DEO ſe deſertam clamat: omnia membra ſanguineum exſudant ſudorem, caput coronatur ſpinis, lingua myrrharum guſtat poculum, *d* manus ac pedes perforantur clavis, latus vulneratur, totum corpus flagellatur & in cruce expanditur: Ipſe paſſus eſt famem, ſitim, frigus, contemptum, paupertatem, convitia, vulnera, mortem, crucem. Quam vero iniquum foret, pati Dominum, & lætari ſervum! quam iniquum foret, Salvatorem pro peccatis noſtris tam graviter puniri, & nos in illis jucundari! quam iniquum foret, affligi caput, & reliqua

R mem-

(*a*) *E*.21. 22. (*b*) *Matth*. 26,38. (*c*) *cap*. 27,46. (*d*) *Pſal*.22, 17.

membra non condolere! Quin potius ut Christum *a* oportuit per passionem suam intrare in cœlestem gloriam: *b* ita & nos per multas tribulationes oportet ingredi in regnum cœlorum. Cogita etiam largam retributionem. *c* Non sunt condignæ passiones hujus temporis futuræ gloriæ: quantacunque passio nostra sit, temporalis est, imo interdum diaria, sed illa gloria æterna. Omnia nostra adversa accurate observat Deus, *d* & in judicium aliquando adducet: quam igitur turpe fuerit in augustissimo illo orbis conventu sine crucis & passionum monilibus conspici! *e* Ipse quoque omnes lachrymas absterget ab oculis suorum. O felix lachryma, quam talis ac tanti Domini manus absterget! O beata crux, quæ in cœlo invenis remuneratio-

(*a*) *Luc.* 24, 26. (*b*) *Actor.* 14, 22. (*c*) *Rom.* 8, 28. (*d*) *Eccles.* 12. *ult.* (*e*) *Esa.* 25. 8. *Apoc.* 7, 17. *Dionys. in cap.* 7. *Apoc.*

tionem! David non integros decem annos versabatur in exilio, *a* sed quadraginta in imperio: præfigurata hic brevitas passionis, sed gloriæ secuturæ æternitas. *b* Punctum temporis est, quo exercentur per crucem sancti, miserationes seculi, quibus colliguntur, atque ita vere matutinis adversis prospera vespertina succedunt. Cogita insuper omnium sanctorum tribulationem. *c* Aspice Jobum lugentem in sterquilinio, *d* Johannem esurientem in eremo, Petrum extensum in patibulo, Jacobum decollatum ab Herodis gladio. *e* Aspice Mariam benedictam Salvatoris matrem, sub cruce filii stantem, quæ typum gerit Ecclesiæ, spiritualis Domini matris. *f* Beati estis, inquit Christus, si persecuti vos fuerint propter nomen meum, ita enim fecerunt

(*a*) 2. *Sam.* 5, 5. (*b*) *Ps.* 30, 6. *Gregor.* (*c*) *Job.* 2, 8. (*d*) *Luc.* 3, 2. *& seq.* (*e*) *Joh.* 19, 25. (*f*) *Matth.* 5, 11.

Prophetis. O gloriosa persecutio, quæ nos Prophetis & Apostolis, adeoque omnibus sanctis, imo ipsi Christo conformes, reddit! *a* Patiamur ergo cum patientibus, crucifigamur cum crucifixis, ut glorificemur cum glorificatis: Si vere filii sumus, sortem reliquorum filiorum non detrectemus. Si vere Dei hæreditatem desideramus, integram acceptemus; Jam vero filii Dei non solum hæredes sunt gaudii & gloriæ in futuro seculo; sed etiam tristitiæ & passionum in præsenti: *b* quia flagellat Deus omnem filium, quem recipit, punit ipsorum peccata, ut in futuro parcat judicio, multiplicat hic tribulationem, ut possit illic multiplicare mercedem, atque ita non persecutio, quam remuneratio, augetur. *c* Cogita beatam crucis conditionem: Radicem mundani amoris in nobis extinguit, & semen divini amoris

(*a*) *Macar. hom.* 12, (*b*) *Heb.* 12, 6. (*c*) *Bernh.*

ris cordibus noſtris inſerit. Crux in nobis generat odium mundanorum, & animum ad cæleſtia evehit: mortificata carne vivit Spiritus, amareſcente mundo, dulceſcit Chriſtus. Magnum eſt crucis myſterium, quippe per eam ad contritionem, ad verum timorem, ad patientiæ exercitium nos vocat Deus, aperiamus pulſanti & audiemus, quod in nobis loquatur Dominus. Contemtus eſt crucis aſpectus coram mundo, & coram oculis carnalibus hominis exterioris, glorioſus coram DEO, & coram oculis ſpiritualibus hominis interioris. Quid Chriſti paſſione vilius & abjectius a Judæis reputabatur? quid vero in oculis Dei eadem dignius & pretioſius? quippe *a* quæ eſt pretium pro totius mundi peccatis. Ita quoque juſtus affligitur, *b* juſtus moritur, & nemo conſiderat, ſed pretioſa crux: *c* pretioſa mors ſancto-

(*a*) 1. *Joh.* 2, 2. (*b*) *Eſa.* 57, 1. (*c*) *Pſ.* 116, 15.

rum in conſpectu Domini. *a* Nigra eſt Eccleſia Chriſti ſponſa exterius propter calamitates & perſecutiones: intus formoſa, propter divinam conſolationem. *b* Hortus concluſus eſt Eccleſia, & quælibet fidelis anima, quippe nemo agnoſcit ejus pulchritudinem, niſi qui in ea eſt. Nunquam plene & perfecte ſentiemus conſolationem Spiritus, niſi caro noſtra affligatur exterius. Si habitat in nobis amor mundi, non eſt quo intret amor DEI: vas plenum non poteſt impleri liquore novo, niſi prior evacuetur; effundamus ergo amorem ſeculi, ut impleamur amore DEI. Ideo DEUS ipſe per crucem mundi amorem in nobis extinguit, ut divino amori locus eſſe poſſit. Præterea crux ad preces compellit, & virtutis eſt occaſio; quando *c* Aquilo hortum perflat, id eſt, quando perſecutiones exercent Eccléſiam, tunc fluunt

(*a*) *Cant* 1, 5. (*b*) *cap.* 4, 12. (*c*) *Cant.* 4, 16.

fluunt aromata ejus, tunc illius virtutes augentur, quæ gratum coram DEO odorem spirant. *a* Dilectus animæ sponsus candidus est & rubicundus, candidus innocentia, rubicundus passione: ita quoque, ut dilecta Christi sponsa sit candida virtutibus, rubicunda redditur passionibus: & sic ex durissimo afflictionum lapide oleum & mel divina gratia producere potest: sic ex amara calamitatis radice novit dulcissimum fructum æternæ gloriæ producere, ad quam nos eadem provehat & introducat, Amen.

(*a*) *cap.* 5.10.

XLII.

QVOMODO VINCENDA TENTATIO DE PERSEVERANTIA.

SPES CONFISA DEO NVNQVAM CONFVSA RECEDIT.

SAncte Domine Jesu, Sponse animæ meæ charissime, quando erit,

ut *a* ad ſolennitatem nuptiarum tuarum me perducas? peregrinus ſum, & exulo a te, ſed firmiſſime credo núllatenus dubitans, brevi fore, ut corporeis ſolutus vinculis *b* appaream coram facie tua; *c* timor & tremor venerunt ſuper me, quia *d* theſaurum meum in fictilibus vaſis porto, prona eſt mens ad errores, prona eſt voluntas ad peccata, unde nec ſpiritus in me ſemper promptus; *e* caro autem ſemper infirma, *f* captivum me ducit peccatum, & lex membrorum repugnat legi mentis; timor & tremor venerunt ſuper me, quia Satanas inſidiatur theſauro meo, calliditas ipſius magna, nocendi ſtudium ardentiſſimum, potentia maxima. *g* Adamum decepit in Paradiſo, *h* Judam in Schola Salvatoris, quomodo miſer ego ab ipſius inſidiis ſecurus ero?

(*a*) *Apoc.* 19,7. (*b*) *Pſ.* 17, *ult.* (*c*) *Pſ.* 55, 6. (*d*) 2. *Cor* 4,7. (*e*) *Matth.* 26,42. (*f*) *Rom.* 7,23. (*g*) *Gen.* 3. (*h*) *Joh.* 13,27.

ero? Timor & tremor venerunt super me, quia adhuc in mundo sum, *a* qui totus in maligno positus est, invitant deliciæ mundanæ; terrent adversa in via Domini, allubescunt quandoque mundi illecebræ, *b* totus mundus laqueis repletus, miser ego quomodo eos potero effugere? oppugnant me læta, oppugnant me tristia: quomodo miser ego consistere potero? Timor & tremor venerunt super me, quia *c* DEUS est, qui operatur in me velle & perficere. Timeo, ne forte negligentia & incuria mea cog[illegible] DEUM auferre etiam illam, quam dedit, voluntatem bonam: indign[e] utor peccatorum remissione, & primam gratiam gratis datam respuo, unde timeo, ne secreto & justo DEI judicio auferatur digne, quo indigne utor: vereor, ne ab eo deserar, quem post primam meam conversionem sæpius deserui. Quam graviter cru-

 cior,

(*a*) 1. *Joh.* 5, 19. (*b*) *Visio Antonii.*
(*c*) *Phil.* 2, 13.

cior, cogitans, hæc Dei beneficia judicium gravius & ſeverius ſequi, ſi injuſte illis uſus fuero; ſed erigit me infinita Dei miſericordia, qui ut dedit velle, ita dabit etiam perficere, *a* quia ipſe Deus eſt, & non mutatur: *b* miſericordia quoque ipſius confirmata eſt ſuper me, & non mutabitur: *c* firmum ſtat fundamentum Dei. Utique firmum, quia in ipſo Deo, apud quem nulla variatio. Utique firmum, quia Chriſti ſanguine confirmatum, *d* qui ſemper loquitur coram throno Dei. Utique firmum, quia certis Sacramentorum *e* ſigillis obſignatum. Si modiculum ſalutis in me quærerem, utique dubitandum mihi foret de ſalute mea: ſed ut omnis mea juſtita, ita quoque omnis ſpes ſalutis in Chriſto. Si ex voluntatis arbitrio Chriſtum apprehendiſſem, utique verendum mihi eſſet, ne, mu-

(*a*) *Malach.* 3, 6. (*b*) *Pſ.* 117, 2. (*c*) 2. *Tim.* 2, 19. (*d*) *Heb.* 12, 24. (*e*) 4, 11.

mutato voluntatis arbitrio, Christum amitterem: sed qui inventus est ab eo, qui ipsum non quæsiverat, is utique, postquam semel inventus, non sese vicissim subtrahet: qui *a* ex umbra mortis ad lucis participationem me traduxit, non permittet, ut ad tenebras detrudar priores. *b* Immutabilia sunt dona & vocatio DEI, ex parte voluntatis Dei, utinam vero & ipse immutabilis in bono essem; thesaurus ille semper adest, sed manus apprehendens aliquando languet. Apprehendere autem potero Christum, qui ut se in verbo & promissionibus revelavit, ita ut verbo & promissionibus fidem adhibere possim, concedit benignissime. Precum adminiculo & præsidio usus muniam fidem meam: *c* neque dimittam Dominum ex cubiculo cordis mei, antequam salus mihi obveniat. *d* Virtute Domini custodiri potero ad salutem: eri-

R 6 gic

(*a*) *Luc.* 1, 79. (*b*) *Rom.* 8, 11. (*c*) *Gen.* 32, 26. (*d*) 1. *Pet.* 1, 5.

git me & confortat virtus Domini, ſed deprimit & contriſtat infirmitas mea. *a* Atqui in infirmitate mea virtus Domini perficitur; roborabit me, a quo omne fidei robur; erigit me gratia divina, ſed terret me indignitas mea. *b* Atqui ſi dignus eſſem, jam non eſſet gratia ſed merces: ſi ex operibus, utique non ex gratia: Gratia enim non eſt gratia ullo modo, niſi ſit gratuito omni modo: ideo ad opera mea non reſpicio; quod erratur, corriget; quod deficit, ſupplebit, quod peccatum eſt, abolebit: *c* quod ille mihi imputare non voluerit, perinde eſt, ac ſi non erit; tantum *d* ergo ex DEO ſalus mea, proinde firma.

(*a*) 2. *Cor.* 12, 9. (*b*) *Rom.* 11. 6. *Aug.* (*c*) *Bernh.* (*d*) *Oſ.* 13, 9.

XLIII.

XLIII.

DE QUOTIDIANA MORTIS CONSIDERATIONE.

MORTIS MEDITATIO VITA EST.

O Fidelis anima, expecta mortem omnibus horis, quia illa tibi insidiatur omnibus horis; mane, o homo, surgens, cogita, ultimum fore hunc vitæ diem; vesperi cubitum iturus, cogita, ultimam hanc fore tibi in terris noctem. Quicquid agis, quicquid suscipis, semper prius cogita, & tecum dispice, num talia ageres, si hac hora tibi moriendum, & ad DEI judicium veniendum. Num putas, si de morte non cogitas, illam tibi non appropinquare? vocari mortem, si de ea cogitaveris? sive de illa cogitaveris, sive minus, sive de illa locutus fueris, sive minus semper instat cervicibus tuis, commodato vita tibi data est, non mancipio; hac conditione intrasti, ut exires; *a* nudus

(*a*) *Job.* 1, 21.

dus venisti, abibis nudus: peregrinatio vita est, diu cum deambulaveris, tandem redeundum: colonus es & inquilinus mundi, non perpetuus Dominus: singulis horis cogita, quo singulis momentis properas. In eo fallimur, quod in ultimo vitæ halitu nos mori existimamus: singulis diebus, singulis horis, singulis momentis moriamur: quicquid vitæ accedit, simul recedit: quicquid vitæ additur, simul detrahitur: non repente in mortem incidimus, sed minutatim procedimus. Vita hæc nostra via est, quotidie aliquid de ea conficiendum: mors & vita distantissima videntur, cum tamen nihil alteri vicinius quam mors vitæ, semper illa præterlabitur, semper hæc instat: ut navi iter agentibus nec sentientibus sæpe, qui vehuntur, nec cogitantibus, finis adest: ita quicquid agimus, sive edamus, sive bibamus, sive dormiamus semper morti appropinquamus. Multi vi-

ti vitam transierunt, dum vitæ instrumenta quærunt & subsidia: mortem venientem nemo hilaris accipit, nisi qui se diu ad illam composuit. In vita tibi quotidie morere, sic in morte Deo poteris vivere, antequam moriaris, moriantur in te vitia; in vita tua moriatur in te vetus Adam, sic in morte vivet in te Christus; in vita tua corrumpatur quotidie homo exterior, sic in morte renovabitur in te interior. Mors ex tempore in æternitatem transfert, quia [illegible]num, ubi ceciderit, manebit. Q[illegible]mus ergo sollicite de mortis hora cogi[illegible]us [illegible]m! præterit tempus, & æternitatis infinita restant spacia, in tempore ergo te ad æternitatem præpara: quales in æternum futuri simus, beati, an miseri, una mortis hora decernitur, in uno hoc momento æterna felicitas aut possidetur, aut amittitur. *b* Quare, o fidelis anima, quã sollicite ad hanc horam te præparare debes! Facile con-

(*a*) *Eccles.* 11. 3. (*b*) *Hieron.*

contemnes omnia mundana, ſi te moriturum cogitabis; cogita oculos caligantes in morte, *a* & facile avertes eos a vanitate: cogita aures obſurdeſcentes in morte, & facile tibi erit ad impia & obſcœna verba eas obſtruere: cogita linguam obrigeſcentem in morte, & majorem habebis curam tuæ loquelæ: obverſetur tibi morientium ſudor & anxietas, ita facile contemnes mundanas delitias: obverſetur tibi egredientium ex hac vita nuditas, & non erit tibi gravis in hac vita paupertas: cogita totius corporis in morte horrorem, & facile contemnes mundi ſplendorem; vide animas ex corporis domicilio egredi compulſæ ejulatum, & facile cavebis omnis peccati reatum: cogita putredinem, mortem tuam conſequentem, & facile humiliabis carnem tuam ſuperbientem: cogita quam vacuus & nudus ab omnibus creaturis in morte relinquaris, & facile amo-

(*a*) *Pſ.* 119, 37.

amorem tuum ab illis avertere, & ad creatorem convertere poteris: cogita, quam anxie mors ſcrutetur, ne quidquam tecum ex hac vita rapias, & facile contemnes omnes mundi divitias. Qui in hac vita quotidie moritur per vitia, ille per mortem ad æternæ mortis tranſit ſupplicia: nemo ad æternam vitam tranſit, niſi qui in Chriſto hic vivere incipit: ut in timore vivas, Chriſto per fidem te inſeras: mors ſemper ſit in tua cogitatione, quia ſemper eſt in tui expectatione: *a* ſemper circumferimus mortem, quia ſemper circumferimus peccatum, peccati autem ſtipendium mors eſt. Si vero mortis amaritudinem effugere cupis, *b* Chriſti ſermonem ſerva. Fides conjungit & unit nos cum Chriſto: qui ergo in Chriſto ſunt, illi non moriuntur, nam Chriſtus eſt ipſorum vita: *c* qui per fidem DEO adhæret, unus eſt Spiritus cum eo,

(*a*) *Brent.* (*b*) *Joh.* 8, 51. (*c*) 1. *Cor.* 6, 17.

eo, & proinde fidelis in æternum non moritur, quia Deus est ipsius vita. *a* Populus Israeliticus per mare rubrum ad terram promissam transit, Pharao & ipsius exercitus in eo extinguitur: ita mors piorum est ipsius principium, & janua ad paradisum: malorum autem mors non est malorum terminus, sed antecedentium & sequentium copula, transeunt illi de morte prima *b* ad mortem secundam. Tam arcta est Christi, & fidelium unio, *c* ut per mortem ea dissolvi nequeat; in ipsa densissima mortis umbra prælucet illis divinæ gratiæ facula; in mortis periculosa profectione prospicit Christus dilectis suis de Angelorum protectione, *d* sanctorum corpora sunt Spiritus sancti templa, non permittit sanctus ille Spiritus, templa sua per mortem destrui penitus, *e* verbum Dei est incorruptibile semen, non illud per

(*a*) *Ex.* 14. (*b*) *Apoc.* 20, 14. (*c*) *Rom.* 8, 38 39. (*d*) 1. *Cor.* 6, 19. (*e*) 1. *Pet.* 23.

per mortem extinguitur, ſed occulitur in piorum cordibus,& ea ſuo tempore vivificabit.

XLIV.
CONSOLATIO IN MORTE AMICORVM.
VITAM MORIENDO LUCRAMUR.

COgita, devota anima, Chriſtum tuum Salvatorem, & non timebis mortis terrorem. Si te contriſtat mortis violentia, erigat te viciſſim Chriſti potentia. *a* Iſraelitæ non poterant bibere aquas de Mara, propter amaritudinem, ſed Jehovah oſtendebat Moſi lignum, quod projectum in aquas, eas efficiebat dulces. Si terreris ob mortis ammarorem, oſtendit tibi DEUS lignum, quod eam convertit in dulcorem, *b* ſurculum ſcilicet ex radice Iſai progerminatum, ſurculus iſte Chriſtus eſt, cujus *c* ſermonem

(*a*) *Exod.* 15, 25. (*b*) *Eſ.* 11, 5. (*c*) *Joh.* 6, 51.

nem si quis servaverit, mortem non videbit in æternum. Plena est oneris vita, bonum igitur ejus allevamentum: *a* miseria hominis Christiani, non homo Christianus moritur; profectio quædam est, quam mortem putamus; non exitus, sed transitus; nostros non amittimus, sed præmittimus; non moriuntur nostri, sed oriuntur: *b* præcedunt; non recedunt; non discedunt; non obitus est, sed potius abitus: piorum migratio est vitæ iteratio: piorum funera, sunt quædam fœnora. *c* Moriuntur nostri; hoc interpretare, quod desinant peccare, desinant jactari, desinant miseri esse. Moriuntur in fide, hoc interpretare, quod ex umbra vitæ discedant, ut ad veram vitam transeant; ex tenebris, ut ad lucem: ab hominibus, ut ad DEum. Vita navigatio est; mors portus est tutissimus: non igitur dolendum, quod nostri mortui sint,

(*a*) *Ambr. de bon. mortis. Uxor Cæciliæ.* (*b*) *Tert. l. de patient.* (*c*) *Cypr. ser. de mort. Aug. Epist.* 6.

ſint, ſed potius illis gratulandum, quod ex turbulento mari in portum pervenerint. Vita hæc carcer animæ eſt, mors autem liberatio; ideo moriturus Simeon exclamat: *a* Nunc dimittis ſervum tuum, Domine, dimitti deſiderat, veluti corporeo ergaſtulo incluſus: gratulandum ergo noſtris, quod ex hoc carcere ſoluti ad veram libertatem aſpiraverint: *b* diſſolvi rogat itidem Apoſtolus, tanquam terreno corpori miſera quadam ſervitute alligatus; num igitur triſtabimur, quod noſtri ex his vinculis eluctati vere jam ſint liberi? *c* Accipiemusne propter illos veſtes atras cum illi ſumſerint indumenta alba? quia ſcriptum eſt, *d* quod electis data ſint veſtimenta alba propter innocentiam, & palmæ in manibus eorum propter victoriam. Num lachrymis & gemitibus nos propter

(a) Luc.2,29. (b) Phil.1,23. (c) Cypr. ſer. 4. de mort. (d) Apoc.7,9.

propter eos macerabimus, cum *a* DEUS ab oculis illorum omnes absterserit lachrymas? num propter eos lugebimus, & in mœrore nostro labores nobismetipsis creabimus, cum illi sint in tali loco, *b* ubi nec luctus, nec dolor, nec clamor ultra auditur, & *c* requiescunt a laboribus suis? num propter eorum obitum tristitia immoderata conficientur, cum ipsi in Angelorum consortio vera & solida fruantur lætitia? num flebilem propter eos extollemus vocem, cum *d* illi coram Agno cantent canticum novum habentes citharas & phialas aureas? num dolebimus, eos ex his terris discessisse, cum sibimetipsis gratulentur, quod discesserint? Quantum prosit exire de hoc mundo, Christus ostendit, *e* qui, cum discipuli ejus tristarentur, quod se recessu-


(*a*) *Es.* 25, 8. *Apoc.* 7, 17. (*b*) *Apoc.* 21, 4. (*c*) *Apoc.* 14, 13. (*d*) *Apoc.* 5, 8. 9. *Cypr. ser.* 4. *de mort.* (*e*) *Joh.* 14, 28.

cessurum diceret, respondit: si me diligeretis, gauderetis utique. Si te navigante, turbida & procellosa tempestas, fluctibus vi ventorum excitatis, futura prænunciaret naufragia, nonne portum velociter peteres? mundus ecce nutat & labitur, & ruinam sui non solum senectute, sed & fine rerum testatur, & tu non DEO gratias agis, non tuis gratularis, quod exitu maturiore subtracti, ruinis & naufragiis, & plagis imminentibus eximantur? In cujus manibus tuorum salus tutius collocatur, quam in manibus Christi? in quo loco tuorum anima tutius commorabitur, quam in regno paradisi? Audi, quid de morte dicat Apostolus: *a* mors lucrum est, lucrum est evasisse incrementa peccati, lucrum fugisse deteriora, lucrum transisse ad meliora. Si illi, quos per mortem amisisti, fuerunt admodum chari, charior sit DEUS, qui eos voluit ad se traduci: ne

(*a*) *Phil.* 1, 21.

ne indigneris Domino, qui *a* nihil abstulit, nisi quod dedit; sua recepit, tua non abstulit. Ne indigneris, Dominum repetere, quod commodato tantum dederat. Ventura solus Dominus prospicit mala, tuis ergo prospicere voluit, ne venturis implicarentur infortuniis. Mortui in Domino suaviter quiescunt in suis *b* sepulchris, quando superstites graviter torquentur in ipsis regni sui palatiis; *c* Si charos per mortem amisisti, crede, quod chariores olim recipies; breve temporis spacium te ab illis sejungit, beata & secura æternitas te illis vicissim conjunget; *d* Veracissima enim promissione speramus, nos de hac vita, unde migraturi quosdam nostros migrantes præmisimus, ad eam vitã esse venturos, ubi nobis erunt quanto notiores, tanto chariores & sine timore ullius dissensionis amabiles.

(*a*) *Job.* 1, 21. (*b*) *Apoc.* 14, 13. (*c*) *Bernh. ser.* 26. *in cant.* (*d*) *August. Epist.* 6. *ad Sid.*





Mens stupet attonita, in nigrum missa barathrum;
ô JESU, jungar Frater amande TIBI!

Keine Angst ist zu vergleichen,
aller Schmertz muß für dieser weichē,
der bey dieser Marter ist.
Ach hilff JESU durch dein leyden,
daß ich nicht von dir muß scheidē,
dann du ja mein Bruder bist!

amabiles. *a* Quotquot erunt, animas, & quot ante nos fuerunt, accipient læto magna theatra ſinu: Fas erit hic noſtræ vultus agnoſcere gentis, atque dare alternis mutua verba ſonis; hic cum fratre ſoror, nati cum patribus ibunt, Veſpera nec feſtos finiet ulla dies. Non ergo tantum reſpice tempus deſertionis, quod ſcilicet tui te deſerunt in morte; ſed etiam reſpice *b* tempus reſtitutionis, quod ſcilicet tui tibi reſtituentur in reſurrectione. Ubi firma fides reſurrectionis, ibi non eſt ſpecies mortis, ſed potius quietis, *c* Tota rerum univerſitas reſurrectionis ſpeculum eſt: Lux quotidie occidens, quotidie reſplendet: herbæ per hiemem emortuæ Vere reviviſcunt. Phœnix in morte ſe ipſam reſeminat: tempora ubi finiuntur, incipiunt, fruct9 conſummantur & redeunt, ſemina nonniſi corrupta & diſſoluta fœcundius ſurgunt: omnia pereun-

S do

(*a*) *Bapt. Man.* (*b*) *Actor.* 3, 10.
(*c*) *Tertull. in Apol.*

do ſervantur, omnia de interitu reformantur: num ergo fruſtra Deus tales typos in Natura propoſuiſſe æſtimandus? Num potentior erit Natura Deo, corporum noſtrorum reſurrectionem promittenti? *a* Qui grana ſeminum mortua & putrefacta vivificat, per quæ in hoc ſeculo vivas, multo magis teipſum & tuos reſuſcitabit, ut cum illis æternum vivas. *b* Vocavit Deus dilectos tuos ad cubilia ſua, ne, quæſo ſecuram quietem illis invidere velis, brevi aderit tempus reſurrectionis. Sperabas forſan, tuos ante obitum fore membra utilia Eccleſiæ militantis: ſed placuit Deo, illos eſſe membra Eccleſiæ triumphantis; placuit id DEO, placeat etiam tibi. Sperabas forſan, tuos ante obitum debuiſſe variarum rerum acquirere ſcientiam: ſed placuit DEO, illos in cœleſti Academia veram diſcere ſapientiam; placuit hoc DEO, placeat

etiam

(*a*) 1. *Cor.* 15. *Aug. ſerm.* 34. *de Verb. Apoſt.* (*b*) *Eſa.* 57, 2.





Es castus Spons9. sanctum castūque cubile
Sine, JESU quaeris: Cor rosa grata fiet.

Laß mein Freünd zu allerzeit
böse Lüst mich meiden,
daß dü Fürst der Reinigkeit
hier dich mögest weiden.

etiam tibi. Sperabas forſan, tuos ante obitum ex pulvere debuiſſe prius elevari & *a* cum Principibus collocari: ſed placuit Deo, illos cœleſtibus Principibus, Angelis ſanctis aſſociari, placuit hoc Deo, placeat etiam tibi. Sperabas forſan, tuos ante obitum multas debuiſſe conquirere divitias: ſed placuit DEO, illos cœleſtis regni percipere delitias; placuit hoc Deo, placeat etiam tibi. Sancte Deus, tu, *b* quod dediſti, abſtuliſti, ſit nomen tuum benedictum in ſeculum.

(*a*) *Pſ.* 113,8. (*b*) *Job.* 1,21.

XLV.

DE JUDICIO EXTREMO.

CHRISTI REVERERE TRIBUNAL.

PAter *a* non judicat quemquam, ſed omne judicium dedit Filio. Scio, Domine, JESU, quod diſtrictus

(*a*) *Joh.* 5,22.

arbiter omnium venturus, *a* clandestina hominum facta & verba & cogitata in lucem proferes. Supra erit Judex severus, subtus patens infernus, intus conscientia mordens, extra ignis ardens, a dextris peccata accusantia, a sinistris Dœmonia terrentia; adernnt boni Angeli a cœlis pellentes, & mali ad infernum trahentes. Domine Jesu, in hisce meis angustiis ad quem confugiam? *b* Vereor omnia mea opera, sciens quod non parcis omni delinquenti. Positus ibi ero inter tempus & æternitatem; tempus præteriit, æternitatis adhuc infinita restant spatia. Maligni Spiritus opera sua requirent: mala, quæ suaserunt, in districtissimo illo judicio producent omnia, ut animam secum ad tormenta trahant sociam. *c* Tabescet omnis militia cœlorum, & complicabuntur sicut liber cœli,

(*a*) 1. *Cor.* 4, 5. *Joh. Carthus. l.* 2. *de quatuor novis[s].* (*b*) *Job.* 8, 28. (*c*) *Esa.* 34. 4.

cœli, omnis militia eorum defluet, ſicut defluit folium de vinea & ficu. *a* Erubeſcet Sol, & Luna confundetur. Quod ſi hæc manuum tuarum opera, quæ nulla unquam commiſerunt mala, a conſpectu tuo fugient, quomodo miſer ego peccator coram facie tua apparere poſſum? *b* Cœli cœlorum non ſunt immaculati coram te, quomodo miſer ego, qui bibo, velut aquam, iniquitatem? *c* Quod ſi juſtus vix ſalvabitur, peccator ubi comparebit? Quo igitur fugiam, ad quem convertar, niſi ad te, Domine? Tu peccatorum meorum Judex eris, qui pro peccatis meis mortuus: *d* Pater enim non judicat quenquam, ſed omne judicium tradit Filio: Pater tradidit judicium Filio, ſed Filius *e* viciſſim propter peccata noſtra traditus eſt. *f* Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium ſuum unigeni-

(*a*) *Eſ.* 24, 23. (*b*) *Job.* 15, 15. 16. (*c*) 1. *Pet.* 4, 18. (*d*) *Joh.* 5, 22. (*e*) *Rom.* 4, *ult.* (*f*) *Joh.* 3, 16.

tum daret, non ut judicet mundum, ſed ut ſervetur mundus per eum: Quomodo igitur me judicabis, Domine JESU, cum miſſus ſis à Patre, ut per te ſerver? voluntatem Patris tu in omnibus perfeciſti, quomodo igitur in me miſero ſalvando eam non perficies? *a* Non eſt voluntas Patris tui, ut pereat unus de parvulis: Parvulus & ipſe ſum in conſpectu tuo, parvulus etiam in conſpectu meo; quid enim ſum, *b* niſi cinis & pulvis? neque ſolum cinis & pulvis, ſed etiam in pietatis profectu nimis parvulus & puſillus; perfice igitur in me parvulo voluntatem Patris tui. *c* Veniſti, o JESU, ſalvare quod perierat, quomodo igitur poteris eum, qui ſalvari deſiderat, judicare? Accuſabunt me peccata mea, & diſtrictam judicis exigent ſententiam, ſed tu peccata mea tranſtuliſti in te, *d* peccata mundi tollis, quomodo

(*a*) *Matth.* 11, 14. (*b*) *Gen.* 18, 27. (*c*) *Matth.* 18, 11. (*d*) *Joh.* 1, 19.

modo non & mea? quomodo propter peccata mea me condemnabis, qui pro eis mortuus es? *a* Mortuus es pro peccatis Mundi totius, quomodo non & pro meis? Utique Domine JESU, si voluisses districte me judicare, quid te coegisset de cœlo descendere in carnem, in mortem, in crucem? Accusabunt me Dæmones, & opera, quæ suaserunt, ab anima mea requirent; Sed *b* judicatus est princeps hujus mundi, neque quicquam habet in te. Quod si in te non habet quicquam, utique nec in me; credo enim in te, Domine, ideo *c* manes in me, & ego in te. Accusabit me, amicum tuum, accusabit me, fratrem tuum, accusabit me, æterni Patris filium dilectissimum: Quomodo igitur severe judicabis amicum, fratrem & filium tuum? Accusabit me in judicio illo Moyses, *d* maledictum me dicet, si-

(*a*) 1.*Joh*.2,2.(*b*) *Joh*.16,11.*cap*.14,30.
(*c*) *Joh*.14,23.(*d*) *Deut*.27. *ult*.

quidem non ſervavi omnia, quæ ſcripta ſunt in libro legis; Verum *a* tu Chriſte, maledictum pro me factus, ut à maledictione legis me liberares. Maledictus ero Moyſi, ſed benedictus tibi, audire enim deſidero vocem illam: *b* Venite benedicti, poſſidete regnum Patris mei. Accuſabit me Moyſes, tu vero non accuſabis me apud Patrem, imo *c* pro me intercedes: Non igitur maledictionem Moyſis timeo, qui *d* ſuſtuliſti Chirographum ipſius, quod erat contra me. Accuſabunt me damnati, & ſimilis culpæ reum me proclamabunt. Fateor, o Domine Jeſu, reatus me cum illis conjungit, ſed reatus illius agnitio & ſalvifica tui cognitio ab illis me disjungit. Qui *e* audit verbum tuum, & credit ei, qui miſit te, habet vitam æternam, neque veniet in judicium. Audio ver-

(*a*) *Gal.* 3, 13. (*b*) *Matth.* 25, 34. (*c*) *Rom.* 8, 34. (*d*) *Coloſſ.* 2, 14. (*e*) *Joh.* 5, 24.

verbum tuum, Domine, & in te credo; fide languida, ſed tamen fide: Credo, Domine, *a* ſed ſuccurre incredulitati meæ. Credo, Domine, ſed *b* adauge fidem meam. Quamvis ab omnium damnatorum peccatis non ſim liber, a ſola tamen incredulitate liberabis me Domine. Accuſatores illi omnes terrent me, ſed tu Judex erigis me, tibi *c* Pater tradidit omne judicium, *d* omnia in manus tuas dedit, ſed viciſſim *e* pro nobis omnibus te tradidit, *f* ipſe etiam tradidiſti te pro Eccleſia, ut illam ſanctificares & mundares lavacro aquæ in verbo. Quomodo ſevero judicio judicabis eos, pro quibus tradidiſti te in mortem, *g* mortem autem crucis? *h* Carnem tuam odio non habebis, membra ſumus corporis tui, de carne tua, & de oſſibus tuis.

XLVI.

(*a*) *Marc.* 9, 24. (*b*) *Luc.* 17, 5. (*c*) *Joh.* 5, 22. (*d*) *Matth.* 11, 27. (*e*) *Rom.* 8. 32. (*f*) (*e*) *Eph.* 5, 25. 26. (*g*) *Phil.* 2, 8. (*h*) *Eph.* 29, 30.

XLVI.

DE VITÆ ÆTERNÆ DESIDERIO.

a SEMPER MENS RESPICE SURSUM.

DEvota anima, non debes amare vitam fugientem, sed potius permanentem. Eo ascende per desiderium, ubi juventus sine senectute, vita sine morte, gaudium sine tristitia, regnum sine commutatione. Si delectat te pulchritudo, *b* justi fulgebunt sicut Sol: si velocitas aut fortitudo, electi erunt *c* similes Angelis Dei: si longa & salubris vita, ibi sana est æternitas, & æterna sanitas: si satietas, *d* satiabuntur electi, cum apparuerit Domini gloria: si melodia, ibi Angelorum chori concinunt sine fine: si munda voluptas, *e* torrente volu-

(*a*) *August. de Spir. &c. Ansh. in pro sol. cap.* 25. (*b*) *Matth.* 13, 34. (*c*) *Matth.* 22, 30. (*d*) *Ps.* 17, 15. (*e*) *Ps.* 36, 9.

voluptatis inebriabit suos Deus: si sapientia, Dei sapientia seipsam eis ostendet: si amicitia, diligent illi Deum plus quam seipsos, & invicem tanqnam seipsos, & DEus illos plus quam seipsos. Si delectat concordia, omnibus ibi erit una voluntas: si potestas, electis omnia erunt facilia, nihil desiderabunt, quod non poterunt: nihil autem desiderabunt, nisi quod Deus ipsos vult velle, & desiderare. Si delectat honor & divitiæ, Deus *a* servos suos fideles super multa constituet: si vera securitas, ita certi erunt, nunquam & nullatenus illud bonum sibi defuturum, sicut certi erunt, se non sua sponte illud amissuros, nec dilectorem Deum illud diligentibus invitis ablaturum, nec aliquid Deo potentius invitos Deum & illos separaturum. Quicquid desiderare poterunt electi, illic inve-

(*a*) *Matth.* 25, 33.

invenient, *a* quia coram a facie ad faciem intuebuntur eum, qui eſt omnia. Tam magna ſunt illius vitæ bona, ut non poſſint menſurari; tam multa, ut non poſſint numerari; tam prætioſa, ut non poſſint æſtimari; erit ibi corporum æterna ſanitas, erit animorum ſumma puritas, erit gloriæ & voluptatis divinæ ubertas, erit perpetua Angelorum & Sanctorum familiaritas, erit ſtupenda corporum claritas: Gaudebunt electi propter loci amœnitatem, quem poſſidebunt; propter jucundam ſocietatem, in qua regnabunt; propter corporis glorificationem, quam habebunt; propter mundum, quem contemſerunt; propter infernum, quem evaſerunt. Minima æternæ vitæ corona præſtantior erit, quam mille mundi, quia infinita illa, hi autem omnes finiti: neque etiam me-

tuen-

(*a*) 1. *Cor.* 13, 12. *Bonaв. l.* 2. *comp. cap.* 31. *Pelargus in Compend, loco* 26. *Bonaв. in* 9. *diat, cap.* 50.

tuenda illic invidia disparis claritatis, quia regnabit in omnibus unitas charitatis: *a* propter summam illam charitatem, quicquid uni electorum accidit, tanto gaudio afficiet reliquos, ac si illis ipsis foret datum. Nullum in cœlo & terra majus bonum, quam DEUS. Ideo etiam non potest esse majus ac perfectius gaudium, quam DEum videre, DEUM possidere: *b* ideo etiam per unicum momentum DEum videre, superabit omnia gaudia, *c* videbimus enim DEum in seipso, DEUM in nobis & nos in Deo: In via hujus vitæ habemus Christum nobiscum, sed sub verbi & sacramentorum velamine tectum, non autem cognoscimus eum per scientiam; in futura vita coram eum intuebimur, quando panem æternæ satietatis nobis distribuet; quemadmodum discipuli non agnoscebant Christum in via, *d* sed demum

T

(*a*) *Augustin. in Joh.* (*b*) *Bernh. in med. cap.* 4. (*c*) 1. *Cor.* 13, 9. 12. (*d*) *Luc.* 24, 31.

mum in hoſpitio, quando panem illis frangebat. *a* Cœleſtis illa Hieroſolyma non habet templum manufactum, nec Solem, nec Lunam, quia templum ejus in æternum eſt Deus, ipſius luminare, & lucerna. Fidei ſuccedet viſio, ſpei comprehenſio, dilectioni perfectæ fruitio. *b* In ædificatione templi Salomonis *c* vox ſecuris & mallei non audiebatur: ſic in cœleſti Hieruſalem, nec pœna nec tribulatio ſentitur: quia materia hujus templi *d* lapides ſc. ſpirituales jam ante in mundo per tribulationes præparati. *e* Regina ad Salomonem veniens, eſt anima ad Chriſtum in cœleſtem Hieroſolymam contendens, ingreditur cum multo comitatu ſanctorum Angelorum, cum auro & pretioſis lapidibus diverſarum virtutum: mirabitur Chriſti Regis ſapientiam, & miniſtrorum, Angelorum

(*a*) *Apoc.* 21, 23. (*b*) *Bertho. in lib. allegor.* (*c*) 1. *Reg.* 6, 7. (*d*) 1. *Pet.* 2, 5. (*e*) 1. *Reg.* 10, 2. *& ſeq.*

rum scilicet & Sanctorum ordinem; ciborum mensæ, id est, æternæ refectionis plenitudinem; vestium precium, id est, corporum glorificationem; domus pulchritudinem, id est cœlestis palatii magnitudinem: sacrificiorum, id est, laudum divinarum multitudinem: fatebitur in stuporem conversa, se non potuisse credere ea, quæ jam oculis videt. Erigat ergo sese fidelis anima, & parata sibi consideret bona, eò dirigendus est spiritus, quo aliquando est iturus. *a* In tempore eò contendendum, ubi aliquando in æternitate manendum. Non intrabit in hanc Domini sui gloriam, qui non intrare desiderat: Coram facie DEI aliquando apparere speras, sanctitati ergo studendum, quia *b* & ipse sanctus est: cœlestium Angelorum expectas consortium, vide ergo, ne per peccata repellas ipsorum à te ministerium: æterna speras,

 qua-

(*a*) *Bernh.* 3. *in med. cap.* 16. (*b*) *Lev.* 11, 45.

quare ergo temporalia tantopere desideras? futuram inquiris civitatem, quare ergo desideras *a* hic locum permanentem? ad Christum venire desideras, quare ergo mortem times? ejus est mortem timore, qui ad Christum nolit ire: ad cœlestem Hierosolymam intrare desideras, quare ergô tot ac tantis peccatis te contaminas? cum tamen scriptum sit, *b* quod nihil intrabit in eam coinquinatum: ligno vitæ aliquando frui desideras, Christum, verum vitæ lignum, in hac vita per veram fidem prius apprehendas, quia scriptum est: beati, qui lavant stolas suas in *c* sanguine Agni, *d* ut sit potestas eorum in ligno vitæ, & per portas intrent in civitatem: foris sunt canes & venefici, cave ergo impudicitiam; foris sunt homicidæ, cave ergo iracundiam: foris sunt idolis servientes, cave ergo avaritiam: foris

(*a*) *Hebr.* 13, 14. *Cypr. serm.* 4. *de mor.* (*b*) *Apoc*, 21. *ult*. (*c*) *Apoc*. 17, 14. (*d*) *c*. 22, 1.

foris sunt mendaces, cave ergo omnem peccati malitiam. Si desideras itrare ad *a* nuptias Agni, Sponsi adventum desidera. *b* Spiritus & Sponsa dicunt, veni : si non habes *c* arrham Spiritus,per quem clames, ut veniat Dominus, nunquam ad cœlestes nuptias te introducet Sponsus: Sponsa non es, si sponsi adventum non desideras. Vis locum habere *d* in novo cœlo ac nova terra, quare ergo veteribus hisce adhæres ? Vis particeps fieri creatoris, quare ergo egenis adhæres creaturis ? Expectas ædificationem *e* ex DEO, domum non manufactam æternam in cœlis, quare ergo terrestrem domum hujus nostri habitationis dissolvi non desideras ? superindui desideras, quare ergo non prospicis, ne nudus inveniaris? Si in hac vita sancta Trinitas non inhabitat cor tuum per gratiam,

 nun-

(*a*) *Apoc.* 19. 7. (*b*) *Apoc.* 22, 17. (*c*) *Eph.* 1,14. (*d*) *Apoc.*21,1. (*e*) 2. *Cor.* 5, 1.

nunquam in futura te inhabitabit per gloriam: ſi in hac vita non guſtas æternæ felicitatis initium, nunquam plenum percipies complementum.

XLVII.

DE BEATISSIMA DEI IN COELO VISIONE.

SANCTORUM PATRIA COELUM.

IN domo Patris mei manſiones multæ ſunt: Verba ſunt Salvatoris noſtri. Deſidero videre locum illum, Domine, in quo æternam mihi præparaſti manſionem. *a* Advena enim hic ſum & peregrinus ſicut omnes patres mei. *b* Dies peregrinationis meæ parvi & mali, igitur in hoc mundi exilio patriam cœleſtem deſidero: *c* πολίτευμα enim meum in cœlo, deſidero videre bona Domini in terra viventium. In imagine per-

(*a*) *Pſ.* 39, 14. (*b*) *Gen.* 47, 9. (*c*) *Phil.* 3, 20. (*d*) *Pſ.* 27, 13.

pertransit hæc vita, mensurabiles sunt Dies mei, *a* & substantia mea tanquam nihilum coram te, quæ igitur expectatio mea? nonne Dominus? Domine JESU, *b* quando erit, ut ad te veniam? quando apparebo ante faciem tuam? Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum: ita desiderat anima mea ad te Deus! *c* O verum & perfectum & plenum gaudium! o gaudium super gaudium, vincens omne gaudium, extra quod non est gaudium: quando intrabo in te, ut videam DEUM meum, qui habitat in te? *d* Adimplebis me lætitia cum vultu tuo, Domine, delectationes in dextera tua usque in finem, inebriabor ab ubertate domus tuæ, *e* & torrente voluptatis tuæ potabis me, apud te est fons vitæ: *f* O desideratam vitam! O beatam felici-

(*a*) *Ps.* 39, 7. (*b*) *Ps.* 42, 3. v. 2. (*c*) *Aug. in medit.* (*d*) *Ps* 17. *ult.* (*e*) *Ps.* 36, 9. (*f*) *Aug.* 22. *de civ. Dei cap. ult.*

tatem! in qua ſanctiſſima Trinitas erit perfectio deſideriorum noſtrorum, quæ ſine fine videbitur, ſine faſtidio amabitur, ſine defatigatione laudabitur. Deum videre, ſuperabit omnia gaudia: Chriſtum videre, cum Chriſto vivere, Chriſtum audire, ſuperabit omnia cordis noſtri deſideria. O JESU Chriſte, Sponſe animæ meæ ſuaviſſime, quando ſponſam tuam in regium adduces palatium, quid ibi deeſſe poterit? quid ibi amplius deſiderari poterit, aut expectari, *a* ubi Deus erit omnia in omnibus? *b* pulchritudo erit viſui, mel guſtui, cithara auditui, balſamum olfactui, flos tactui: Omnia erit Deus, & diſtribuet unicuique ſecundum deſiderium cordis ſui bona: Si vitam deſideras, ſi ſanitatem, ſi pacem, ſi honorem, ibi Deus erit omnia in omnibus. Quæ ſummis in Eccleſiæ Doctoribus obſignata modo ſunt myſteria, vel puellulis ibi erunt obvia. Aderit nobis benedicta Chriſti hu-

(*a*) 1. *Cor.* 15, 28. (*b*) *Bernh.* ma-

manitas, & de abſconditis ſalutis noſtræ myſteriis voce concionabitur ſuaviſſima. *a* Vox ipſius dulcis, atque facies ejus decora, *b* diffuſa eſt gratia, in labiis ipſius *c* gloria & honore incedit coronatus. Quod ſi Deus erit omnia in omnibus, *d* utique etiam erit plenitudo luminis intellectui, multitudo pacis voluntati, continuatio æternitatis memoriæ. Saturabit filius intelligentiam pleniſſima cognitione, Spiritus ſanctus voluntatem ſuaviſſima dilectione, Pater memoriam ſecura utriusque recordatione. Tu, o Deus, lumen eris, *e* in cujus lumine videbimus lumen, te ſcilicet in te, in ſplendore vultus tui, quando te videbimus à facie ad faciem. Neque ſolum te videbimus, ſed etiam tecum vivemus; neque ſolum tecum vivemus, ſed etiam te laudabimus: neque ſolum te

(*a*) *Cant.* 2, 14. (*b*) *Pſ.* 45, 3. (*c*) *Pſ.* 8, 6. (*d*) *Bernh. ſer.* 11. *in Cant.* (*e*) *Pſ.* 36, 10. *Aug. in illum loc.*

laudabimus, sed gaudii tui consortes erimus, neque solùm tecum gaudebimus; sed *a* Angelis etiam similes erimus; neque Angelis solum, sed ipsi etiam *b* Deo benedicto in seculum. Obstupescat hic fidelis anima, & misericordiam Salvatoris sui adoret. Non in gratiam solum nos inimicos recipit, sed peccata remittit, sed justitiam donat, sed ad cœlestem deducit hæreditatem, imo, Angelis & sibi ipsi nos similes reddit. O beatissima civitas! O cœlestis Hierusalem! O sancta sanctissimæ Trinitatis sedes, quando erit, ut ingrediar templum tuum? *c* Templum cœlestis Hierosolymæ Agnus est, *d* Agnus nimirum, qui peccata mundi tollit, & pro eis *e* ab origine mundi occisus. Quando erit, ut adorem in templo illo Deum meum, Deum scilicet in Deo? Quando orietur mihi Sol iste,

a qui

(*a*) *Matth.* 22, 30. (*b*) 1. *Joh.* 3, 2. (*c*) *Apoc.* 21, 22. (*d*) *Joh.* 1, 29. (*e*) *Apoc.* 13, 8.

a qui illuminat civitatem illam sanctam? Exulo adhuc à patria mea, sed b reposita mihi est hæreditas ampla, Credentibus c potestas per Christum facta filios Dei fieri. d Quod si filii sumus, utiq; etiam hæredes, hæredes quidem DEI, cohæredes vero Christi. Erige te, anima mea, & aspira ad hæreditatem tuam. e Dominus pars hæreditatis meæ f & merces mea magna valde. Quid præter hoc donare posset misericordissima DEI benignitas? Vitam donat; Filium donat; Semetipsum donat: Quod si adhuc majus aliquid in cœlo atque terra sciret, illud ipsum nobis donaret: g In DEO vivimus, h templum Dei sumus, Deum possidemus, hic quidem in spiritu atque mysterio, illic autem in veritate, i

(a) *Apoc.* 21, 23. (b) *Ps.* 16, 6. (c) *Joh.* 1, 12. (d) *Rom.* 8, 17. (e) *Ps.* 16, 5. (f) *Gen.* 15, 1. (g) *Act.* 17, 28. (h) 1. *Cor.* 1, 16. (i) *Aug. in Ps.* 74. *Orig. lib.* 2. *de princ. c.* 3.

ibi nostra ſpes erit res, ibi non ſolum permanebimus, ſed etiam habitabimus in æternum.

XLVIII.

DE SUAVISSIMA ANGELORUM IN COELO ASSOCIATIONE.

COELESTIS CURIA NOSTRA EST.

IN *a* reſurrectione mortuorum neque nubent, neque uxores ducent, ſed erunt ſicut Angeli DEI in cœlo. Ecquis hanc beatorum dignitatem dignis celebrare poteſt encomiis? *b* In cujus hominis cor hæc beatorum gloria aſcendit? Electi, gloria reſurrectionis innovati, absque ullo mortis metu, absque ulla corruptionis labe ſalvifica DEI fruentur viſione. *c* Vidi Dominum à facie ad faciem, & ſalva facta eſt anima mea, exclamat D. Patriarcha. Quod ſi *momenta-*

nea

(*a*) *Matth.* 22, 30. (*b*) 1. *Cor.* 2, 9. (*c*) *Gen.* 32, 30.



Adspicio moriens tua vulnera, Christe redemtor:
aufugit en Satanas, ipsaq mors trepidat.

Wann der Teüffel mir zusetzt
vnd der Todt mich quelet,
Deine lieb Herr mich ergetzt,
du hast mich erwehlet.



nea DEI visio tantum potuit adportare lætitiæ cumulum, quid poterit visio ejus *æterna*? Si DEI in forma hominis apparentis intuitus salutem & vitam attulit animæ, utique visio ejus à facie ad faciem vitam & beatitudinem afferret æternam. Quid igitur ad hanc felicitatem accedere præterea possit? quid præter DEI visionem desiderare poterunt electi? Nihilo tamen minus beatissimo & suavissimo Angelorum fruentur consortio. Neque solum consortio illorum fruentur, sed etiam similes illis erunt, corporum scilicet agilitate, claritate, immortalitate. Induemur eadem cum illis veste, *a* in stolis albis coram throno Agni assistentes, æternum psallemus Domino canticum, in eadem virtutum fulgebimus corona, eodem immortalitatis gaudebimus privilegio. Vidimus *b* Angelum Domini, & moriemur, exclamat Manoah. Nos autem videbi-

(*a*) *Apoc.* 7 9. (*b*) *Jud.* 13, 22.

mus *a* millia millium, & decies millies centena millia Angelorum, & vivemus in æternum. Quod ſi ἰσάγγελοι erimus, utique metuendum non erit amplius, ne peccatorum diſſimilitudine ab illis ſeparemur. Exuemur pannoſa Naturæ peccatricis tunica, & nuditas noſtra *b* ſalutis operietur veſtimento atque candidiſſima induemur innocentiæ ſtola. *c* Nemo ibi læditur, iraſcitur nemo, invidet nemo, cupiditas nulla exardeſcit, nulla honoris aut poteſtatis pulſat ambitio. Peccatorum pondere non gravabimur, neque peccatorum maculas pœnitentibus lachrymis deflere cogemur, neque metuenda amplius lethalia animæ vulnera. *d* Vicit enim Leo de tribu Juda, vicimus in virtute ipſius omnes. Quod ſi ἰσάγγελοι erimus, utique nullum aderit cibi aut potus deſiderium. *e* Deus erit cibus no-

(*a*) *Dan.* 7, 10. (*b*) *Eſa.* 61, 10. (*c*) *Aug. ſerm.* 1. *de feſt. ſanct.* (*d*) *Apoc.* 5, 5. (*e*) *Aug. in Pſ.* 50.

noſter, in cujus delectatione ſatiabimur. Deus erit cibus noſter, qui ſolus reficit nec deficit. *a* Non eſurient beati, neque ſitient, non percutiet eos æſtus & Sol, quia miſerator eorum reget eos, & ad fontes aquarum potabit eos, ibi *b* de ventre fluent flumina aquæ vitæ, ibi *c* paratum convivium pinguium medullatorum, convivium vindemiæ defecatæ. *d* Epulabimur & lætabimur, & præ lætitia cordis jubilabimus. Domine JESU, perficientur hæc in Spiritu & veritate, *e* de fructu vitis bibemus in regno Patris tui, ſed in Spiritu & veritate. Verba enim, quæ locutus es nobis, *f* Spiritus & vita ſunt, atque hujus ſeculi verbis futuræ vitæ declaras gaudia. Quod ſi ἰσάγγελοι erimus, utique etiam mortis auferetur metus, *g* abſorpta erit

mors

(*a*) *Apoc.* 7,16.17. (*b*) *Joh.* 7,38. (*c*) *Eſa.* 25,6. (*d*) *Eſa.* 66,11. (*e*) *Matth.* 26,29. (*f*) *Joh.* 6,63. (*g*) 1. *Cor.* 15,54.

mors in victoria, præcipitata erit mors in ſempiternum, *a* & abſterget Deus omnem lachrymam ab oculis populi ſui. *b* Gaudium igitur erit ſine triſtitia, quod continet æternam lætitiam; ſalus erit ſine dolore, vita ſine labore, lux ſine tenebris, amor nunquam tepeſcet, gaudium nunquam decreſcet, gemitus non audietur, neque dolor ſentietur, triſte nihil videbitur, lætitia ſemper habebitur, ibi ſumma & certa ſecuritas, ſecura tranquillitas, tranquilla jucunditas, jucunda felicitas, felix æternitas, æterna beatitas, beata Trinitas, Trinitatis unitas, & unitatis Deitas, & Deitatis beata viſio. Erige te, anima mea, & honorem à Chriſto nobis collatum altius perpende. Conſociabimur *c* Angelorum & Archangelorum cœtibus, thronis & dominationibus, principibus & poteſtatibus: neque ſolum ſociabimur, ſed etiam ſimi-

(*a*) *Eſa.* 25, 8. (*b*) *Auguſt.* (*c*) *Col.* 1, 16.

ſimiles erimus. Agnoſcemus ibi Angelum cuſtodiæ in vita olim deputatum: neque egebimus ipſius miniſterio, ſed ſuavi ejus lætabimur contubernio : non deſiderabimus ipſius protectionem, ſed ob ſuavem gaudebimus ſocietatem, & claritatem ipſius oculis intuebimur clarificatis. Quod ſi ἰσάγγελοι erimus, *a* utique corpora noſtra fragilia, debilia, mortalia immutabuntur, & ſpiritualia, agilia, immortalia efficientur; lucida erunt, quia Deo propinqua, *b* qui habitat in luce inacceſſibili, & *c* luce veſtitus eſt; Incorruptibilia erunt, quia Angelis, imo *d* corpori Chriſti clarificato conformia; *e* ſeminantur hic in corruptione, reſurgent in incorruptione; ſeminantur in ignobilitate, reſurgent in gloria; ſeminantur in infirmitate, reſurgent in virtute; ſeminatur corpus ani-

ma-

(*a*) 1. *Cor.* 15, 43. 44. (*b*) 1. *Tim.* 6, 16. (*c*) 104, 2. (*d*) *Phil.* 3. *ult.* (*e*) 1. *Cor.* 15, 43.

male, ſurget corpus ſpirituale, quod fulgebit, ſicut *a* ſplendor firmamenti in æternum. Veni, Domine JESU, & gloriæ illius participes nos effice!

(*a*) *Dan.* 12, 48.

XLIX.

DE TORMENTORUM INFERNALIUM GRAVITATE.

SEMPER MEDITARE GEHENNAM.

COgita, devota anima, pœnarum inferni gravitatem, & facile ſuperabis omnem pravam peccandi voluptatem. Erit ibi præſentia omnis mali, & erit abſentia omnis boni. *a* Quid mali illis deeſſe poterit, qui puniuntur propter ſummum malum, ſcilicet peccatum? Quid boni illis adeſſe poterit, qui ſunt remoti à ſummo bono, ſcilicet Deo? Erit ibi calor ignis, & rigor frigoris, erunt ibi per-

(*a*) *Cart. l. 3. de quat. noviſſ. c. 4.*

perpetuæ tenebræ, erit ibi fumus & perpetuæ lachrymæ, erit ibi aſpectus terrificus Dæmonum, erit clamor in perpetuum, erit ibi ariditas, ſitis, fœtor ſulphuris, vermis conſcientiæ, timor, dolor, pudor & confuſio peccatorum omnibus manifeſtorum, invidia, odium, triſtitia, divinæ viſionis carentia, omnis ſpei ablatio. Separabitur Dei virtute claritas ignis ab ejus aduſtiva virtute, claritas cedet in gaudium ſanctorum, vis aduſtiva in tormentum damnatorum: lucebit miſeris non ad conſolationis objectum, ut videant, unde gaudeant; ſed ad miſeriæ augmentum, ut cernant, unde magis doleant. Viſus aſpectu Solis, Lunæ ac ſtellarum omnium privabitur, ſicut etiam viſione Chriſti & ſanctorum omnium: punietur autem fletu, fumo, Dæmonum ac omnium damnatorum aſpectu. Aures damnatorum ejulatus & aſſiduas blaſphemias, ut & horribiles Dæmonum rugitus audient. Guſtus

affli-

affligetur siti & fame, ac omni ciborum ac potus privabitur voluptate. Odoratus fœtore sulphureo torquebitur: tactus ignem intus & extra urentem, atq; ad medullas usq; penetrantem sentiet. Corpora damnatorum erunt deformia, obscura, tarda, ponderosa. Torquebitur memoria peccatorum recordatione, neq; tam dolebit se peccasse, quam voluptates suas perdidisse. Una scintilla gehennæ ignis plus peccatores lædet, quam si fœmina in labore & partu prolis perseverando mille annos perduret: erit ibi fletus ex dolore, & *a* stridor dentium ex furore: in carne cruciabuntur per *b* conscientiæ vermem: nullum erit vitium, quod non habeat ibi proprium aliquem cruciatum. Sicut nihil in regno Dei desideratur, quod non inveniatur, ita in inferno nihil invenitur, quod desideratur. Nihil ibi pro-

(*a*) *Matth.* 22, 13. *Bernh. serm.* 8. *in Ps. Qui habitat. Idem in med. de Cot. c.* 3. (*b*) *Es.* 66. *ult.*

proderit damnatis, quod in hac vita deliciis variis usi fuerint, quin potius earum recordatio gravius torquebit: nihil proderit damnatis, quod in hac vita in perpetua ſaturitate & ebrietate vixerint, *a* quia tunc ne guttulam quidem aquæ obtinere poſſunt. Nihil proderit eis, quod veſtibus uſi fuerint ſplendidis, quia induentur confuſione, & corpora ipſorum veſtientur ignominia. Nihil proderit eis, quod in hac vita conſtituti fuerint in honoribus, quia in inferno nullus erit honor, ſed continuus gemitus & dolor. Nihil proderit eis, quod in hac vita cumulaverint divitias, quia ibi æqualis erit omnium paupertas. *b* Remoti erunt à beatifica Dei viſione, DEUM non videre, omnia gehennæ ſuperat ſupplicia: Dei faciem ſi in carcere inferni incluſi viderent damnati, nullam pœnam, nullum dolorem, nullamque triſtitiam ſentirent: iram Dei ex-

(*a*) *Luc.* 16, 24. (*b*) *Bernh. de dom. inter. cap.* 20.

experientur, & tamen beatificam DEI faciem nunquam intuebuntur: ſentient pœnas à facie ejus, cujus tamen faciem nunquam contemplabuntur; ira DEI ignem æternæ damnationis perpetuo inſtar ſulphurei torrentis ſuccendet. a Nec ſolum à DEI contemplatione removebuntur, ſed etiam à Dæmonum conſpectu miſerabiliter cruciabuntur: ſentient eorum flagella, quorum in hac vita ſecuti ſunt magiſteria. Si ſpectri alicujus intuitus hominem in hac vita ferme exanimat, quid potuit horribilis Dæmonum in æternum duraturus aſpectus? neque ſolum cogentur damnati Dæmonibus perpetuo converſari, ſed etiam ſentient, ſe in æternum ab illis cruciari: ſi in hac vita ex permiſſione divina Diabolus tam graviter affligit ſanctos, quam graviter cruciabit damnatos poteſtati ſuæ in æternum traditos? Damnati non ſolum cruciabuntur per Dæmones exterius, ſed

et-

(a) *Polycarp. c. 61. Harm. Evan.*

etiam per conſcientiæ vermem interius: omnia omnino, quæ unquam perpetraverunt, peccata oculis eorum aſſidue erunt objecta: tanto autem erit gravius tormentum, quia non amplius reſtat pœnitentiæ benificium: *a* quando virgines paratæ intraverint cum Sponſo, ſtatim claudetur janua, *b* januam intellige indulgentiæ, januam miſericordiæ, januam conſolationis, januam ſpei, januam gratiæ, januam converſionis ſanctæ. Clamabunt damnati, & *c* dicent montibus ac petris: Cadite ſuper nos, & abſcondite nos ab ira Agni; ſed clamor iſte erit fruſtraneus, quia Cœlum & Terra fugient ab ira ejus, ſicut ſcriptum eſt: *d* Fugit omnis inſula, & montes non ſunt inventi. Quicquid datum fuerit electis ad gloriæ augmentum, id omne cedet damnatis ad dolorum incremen-

(*a*) *Matth.* 25, 10. (*b*) *Granat. lib.* 1. *memorial. c.* 1. (*c*) *Apoc.* 6, 16. (*d*) *Apoc.* 16, 20.

mentum. Erunt quidem pœnarum gradus, ſed tamen qui minora ſentit tormenta, nulla exinde percipiet levamenta: qui majoribus torquebitur cruciatibus, invidebit illi, qui affligitur minoribus. Non percipient damnati inde aliquod levamentum, quod quidam cognatorum vel amicorum in cœleſte recepti ſunt palatium, quia etiam electi nullam inde ſentiunt triſtitiam, quod ſciunt, quosdam ſuorum cognatorum ad æternam tranſiiſſe gehennam. Tantus ibi in damnatis erit dolor & cruciatus, ut mens ad aliud dirigi non poſſit, niſi ad quod vis doloris impellit. Proſequentur damnati odio omnes Dei creaturas: proſequentur odio ſeipſos invicem: proſequentur odio Angelos ſanctos, homines, electos, adeoque Deum ipſum, non quidem in ſe & in natura ſua, ſed in juſtitiæ effectis Omnia mala hujus vitæ ſingularia ſunt: unus gravatur paupertate, alter torquetur morbi gra-

vi-

vitate: unus dura premitur ſervitute, alter conviciorum oneratur mole: ſed illic ſimul omnes omnibus torquebuntur malis, dolores ibi erunt univerſales in omnibus ſenſibus & membris: in hac vita omnes moleſtias mitigat ſpes levationis, ſed illic nulla relicta eſt ſpes liberationis: pœna inferni non ſolum eſt æterna, ſed etiam ne per momentum quidem interrupta. Atque hinc eſt, ſi omnes homines nati ab Adam usque ad hodiernum diem, & amplius naſcituri viverent usque ad noviſſimum diem, & ſi unam pœnam, quam anima pati cogitur, pro uno peccato in inferno ex æquo paterentur, tunc particula quævis illius pœnæ unius hominis major eſſet, quam omnia tormenta, quæ omnes raptores & malefici unquam eſſent perpeſſi. O Domine, da, ut gehennam cogitemus, ne in gehennam incidamus!

L.

DE POENARUM INFERNALIUM ÆTERNITATE.

TORMENTA ÆTERNA MALOR.

COgita, devota anima, infernalium pœnarum æternitatem, & rectius percipies earum gravitatem. *a* Eſt in inferno flamma furens, & ſine fine perurens: Vita damnatoram eſt ſine fine mori: mors eorum eſt in æternis pœnis vivere. *a* Nec, qui torquet, fatigatur, nec qui torquetur, aliquando moritur: ſic ignis ibi conſumit, ut tamen ſemper reſervet: ſic tormenta ibi augentur, ut tamen ſemper renoventur: ſic damnati morientur, ut ſemper vivant, ſic vivent: ut ſemper moriantur. *c* Sine ullo unquam fine aliquem torquendū eſſe, id verò ultra omnes deſperationis fertur terminos. Quid enim gravius, quam ſemper velle, quod nunquam erit

(*a*) *Paulinus de obitu celſ.* (*b*) *Bernh. in med. deBotiſſ. c. 3.* (*c*) *Ib. col.* 1193. *Iſidor. Clarius orat.* 12.





Non es mortalis mea mens, æterna creata es:
Æterna hinc timeas mens mea supplicia.

Ich erzitter und erbebe
Wañ ich mich vom Schlaff erhebe,
und betrachte diesē Schlund
die hienein durch Sünden rennen,
müssen ewig allda brennen,
weil er ist ohn End u. grūd.

erit, & semper nolle, quod nunquam non erit? in æternum damnati non assequentur, quod volunt, & quod nolunt, in æternum pati cogentur. Quando cessabit DEI ira, cessabit etiam damnatorum pœna: sed æterna est ira, æterna igitur & pœna. Quando pœnitentiam veram agent damnati, à peccatis suis poterunt liberari, sed præclusum tempus pœnitentiæ, nulla ergo spes restat indulgentiæ. Quando torquere cessabunt Diaboli, torqueri cessabunt damnati, sed nunquam cessabit furor Diaboli, nunquam ergo cessabit cruciatus hominis damnati. Quando mutabitur DEI justitia, mutabuntur etiam damnatorum supplicia: sed invariabilis DEI justitia, æterna igitur erunt damnatorum supplicia. *a* Ad districti judicii sententiam pertinet, ut nunquam careant supplicio, qui in hac vita nunquam carere voluerunt peccato: æquum est, ut nullus de-

(*a*) *Gregor.*

tur damnato terminus ultionis, qui, quamdiu valuit, habere noluit terminum criminis: damnati peccarunt in ſuo æterno, id eſt, quamdiu vixerunt, juſtum ergo eſt, ut puniantur in Dei æterno: cum fine deliquerunt, quia cum fine vixerunt, non voluiſſent utique cum fine delinquere, ſi potuiſſent ſine fine vivere, ut poſſent ſine fine peccare: Æterna quoque eſt ignis infernalis materia, peccati ſcilicet macula, merito igitur æterna etiam pœna: non removebitur ab oculis Dei peccatorum in damnatis turpitudo, quomodo ergo removeri poterit ſuppliciorum in peccata conſtitutorum magnitudo? Peccatum inſuper eſt infinitum malum, quia contra infinitum bonum commiſſum, & Chriſtus pro eo perſolvit infinitum precium: merito ergo in eos, qui moriuntur in peccatis, infinitum conſtituitur ſupplicium. Peremit in ſe homo bonum æternum, juſto ergo Dei judicio incidit in malum

lum æternum. *a* Creavit Deus ab initio hominem ad ſui imaginem, ut in æternum ſecum vivere poſſet; reformavit DEUS hominem in peccatum prolapſum per Chriſtum ad ſui imaginem: paravit omnibus æternæ ſalutis media, & obtulit omnibus æternæ vitæ præmia, juſtum igitur eſt, ut, qui æternis carere voluerunt præmiis, æternis etiam ſubjiciantur ſuppliciis. Nunquam à damnatis auferetur voluntas mala, nunquam ergo auferetur malæ voluntatis pœna. Elegerunt damnati momentaneam voluptatem, & finita mundi bona præ infinito bono Deo; aſpirarunt potius ad fugacis & breviſſimæ hujus vitæ delicias, quam ad æternæ vitæ divitias: æquum igitur eſt, ut infinitas ſentiant pœnas. O æternitas interminabilis! O æternitas nullis temporum ſpaciis menſurabilis! O æternitas nullo intellectu humano perceptibilis! quantum auges damnato-

 rum

(*a*) *Gen.* 1.

rum ſupplicia? Poſt innumera annorum millia ſemper cogitare cogentur, hoc ipſis tantum eſſe tormentorum principium. Quam grave eſt in molliſſimo lecto per triginta annos immobilem jacere, quid erit in ſulphureo iſto lacu triginta millia millium annorum ardere? O æternitas! æternitas! tu ſola ultra omnem modum ſupplicia damnatorum exaggeras. *a* Gravis eſt damnatorum pœna, propter ſuppliciorum acerbitatem; gravior eſt propter ſuppliciorum diverſitatem; graviſſima propter ſuppliciorum æternitatem: *b* mors erit ibi ſine morte: erit finis ſine fine, defectus ſine defectu, quia mors ſemper vivit, & finis ſemper incipit, & defectus deficere neſcit: *c* quærent damnati vitam, & non invenient, quærent mortem, & fugiet ab eis: poſt annorum centum millena millium millia,

(*a*) *Dionyſ. Carthuſ. in Apoc. cap.* 18.
(*b*) *Gregor. lib.* 9. *moral.* (*c*) *Apoc.* 9, 6.

lia, ſine ullo fine ad rediviva reverten-tur tormenta: plus cruciabit eos cogitatio de continuatione doloris, quam ſenſus tormenti exterioris: quid poteſt eſſe miſerum magis, quam ita mori, ut ſemper vivas; iſta vivere, ut ſemper moriaris? vita ita erit mor-tifera, & mors immortalis: ſi vita es, cur occidis? ſi mors, quomodo ſem-per duras? Æternitas qualis ſit, per-fecte non cognoſcimus: non enim dubium, quin id, quod nulla tem-poris menſura circumſcribitur, nulla etiam creata mente comprehenda-tur: ſi quid tamen de ſpatio æterni-tatis vis æſtimare, tempus antemun-danum debes cogitare: ſi potes in-venire DEI principium, poteris etiam invenire, quando finem habiturum ſit damnatorum ſupplicium. Finge tibi montem quendam altiſſimum, qui magnitudine excedat cœli & terræ ſpacium: finge quandam vo-lucrem quibuslibet mille annis de-portare ex hoc monte granulum te-

nuissimi pulveris : Sperandum esset, ut tandem post incomprehensibilia multa annorum millia finiretur magnitudo illius montis, sed non potest sperari, ut finiatur aliquando infernalis iste ignis. Nunquam finientur electorum præmia, nunquam etiam finientur damnatorum supplicia, quia ut infinita est DEI misericordia erga electos, ita infinita est Dei justitia erga reprobos. Statue, tot esse tormentorum species in damnatis, quot sunt guttulæ magni maris : finge post millesimum quemque annum advolare quandam aviculam, & exhaurire tenuem maris guttulam: sperandum esset, fore, ut exhauriatur tandem maris copia: sed sperari non potest, finienda esse aliquando damnatorum supplicia. O devota anima, semper tibi obversetur pœna damnatorum æterna: *a* gehennæ meminisse prohibet in gehennam incidere. Sit cura agendæ pœni-

(*a*) *Chrisost. hom.* 1. *in* 2. *ad Thess.*

nitentiæ, dum adhuc tempus est indulgentiæ: *a* Quid aliud devorabit ignis iste, quam peccata tua? quo magis peccata cumulas, eo majorem comburendi materiam reservas. O Domine JESU, qui pro peccatis nostris satisfecisti tua passione, custodi nos ab æterna damnatione, Amen.

(*a*) *Kemp.* 1. *de imit. Christi c.* 24.

LI.

DE SPIRITUALI PIORUM RESURRECTIONE.

CUM CHRISTO SURGERE VITA EST.

NOn prodest Christi resurrectio, nisi in te quoque Christus resurgat. Sicut Christum oportet in te concipi, nasci, vivere: ita quoque oportet eum in te resurgere. Omnem resurrectionem præcedit mors, quia non resurgit, nisi quod cecidit: ita quoque res se habet in spirituali hac resurrectione. Non resurgit in te Christus, nisi prius Adam in te moria-

riatur : non resurgit homo interior, nisi sepeliatur prius exterior : non prodibit novitas Spiritus : nisi prius abscondatur vetustas carnis. Nec sufficit, semel in te Christum resurgere, quia vetus Adam non potest extingui uno momento, quotidie vult in te reviviscere vetus Adam, quotidie eum extingue, ut in te quotidie Christus incipiat vivere. *a* Non ascendebat Christus in cœlum, neque in suam gloriam intrabat, antequam resurgeret ex morte: ita non poteris ad cœlestem intrare gloriam, nisi Christus prius in te resurgat, atque in te vivat: non est pars corporis Christi mystici, in quo Christus non vivit, nec deducetur à Christo ad Ecclesiam triumphantem, nisi qui fuerit pars corporis ejus in Ecclesia militante. Conjugium præcedit desponsatio ; non introducetur Anima ad nuptias cœlestis *b* agni, quæ *c* non per fidem

(*a*) *Luc.* 24, 26. (*b*) *Apoc.* 19, 7.
(*c*) *Os.* 2, 19.

dem Christo in hac vita desponsata, & arrha S. Spiritus obsignata. Resurgat ergo & vivat in te Christus, ut cum ipso in æternum vivas. *a* Hæc est resurrectio prima: beatus & sanctus, qui habet partem in resurrectione prima, in hoc secunda mors non habet potestatem. Si in resurrectione corporum ad vitam vis prodire, quotidie debet Christus in hac vita in te resurgere. *b* Resurgente Christo Sol oriebatur: ita si spiritualiter Christus in te resurgat, orietur in anima tua lux salutaris DEI agnitionis: quomodo ibi possit esse lux salvificæ DEI cognitionis, ubi adhuc locum habent peccatorum gravissimorum tenebræ? *c* Timor Domini initium sapientiæ, quomodo ergo ibi possit esse cœlestis sapientia, ubi timor Domini locum nunquam habuit? Qui vero luce divinæ cognitionis destitutus est in hac vita, quomo-

(*a*) 2. *Cor.* 1, *ult. Apoc.* 20, 5. 6. (*b*) *Marc.* 16, 2. (*c*) *Ps.* 111, 10.

modo poteſt fieri particeps æternæ lucis in futura? Filii lucis ſolum tranſeunt ad æternam lucem. Filii tenebrarum ad æternas tranſeunt tenebras. Chriſtus reſurgens triumphaverat de morte: ſic in quo Chriſtus ſpiritualiter reſurgit, à *a* morte ad vitam tranſit, neque enim poteſt vinci à morte, in quo vivit victor mortis. Chriſtus reſurgens adduxit ſecum *b* juſtitiam perfectam, *c* mortuus enim eſt propter peccata noſtra, reſurrexit propter juſtitiam noſtram: ita quoque, in quo Chriſtus ſpiritualiter reſurgit, juſtificatus eſt à peccato, quomodo enim ibi peccata haberent locum, ubi viget, & vivit perfecta Chriſti juſtitia? applicatur autem nobis illa Chriſti juſtitia per fidem. Chriſtus reſurgens victoriam ex Satana referebat, quia in ſuo ad inferos deſcenſu regnum ejus de-

(*a*) *Joh.* 5, 24. (*b*) *Dan.* 9, 24. (*c*) *Rom.* 4. *ult.*

deſtruxerat, *a* palatium ejus exſpoliaverat, arma ejus confregerat: ita quoque, in quo ſpiritualiter Chriſtus reſurgit, illi Satanas prævalere non poteſt, neque enim poteſt vinci à Satana, in quo vivit victor Satanæ. Chriſto *b* reſurgente terræ motus factus eſt magnus, ita quoque ſpiritualis illa cum Chriſto reſurrectio non fit ſine ſeria commotione & cordis contritione. Vetus ille Adam non poteſt extingui ſine lucta & renitentia: Ergo etiam Chriſtus non poteſt ſpiritualiter in te reſurgere ſine magna commotione. Non fit ſpiritualis cum Chriſto reſurrectio, niſi fiat peccati abolitio: non fit peccati abolitio, niſi præcedat peccati agnitio: nondum adeſt vera peccati agnitio, niſi adſit ſeria cordis contritio. Ergo non fit ſpiritualis Chriſti reſurrectio, niſi præcedat interior cordis contritio. Dicebat ſanctus Ezechias

(*a*) *Luc.* 11, 22. (*b*) *Matth.* 28. 2.

a Sicut leo contrivit omnia ossa mea: Vide magnam commotionem. Sed statim addit: *b* Domine sic vivent, & in talibus vita spiritus mei, corripies me, & vivificabis me, projecisti post tergum tuum omnia peccata mea: Vide spiritualem à peccatis resurrectionem. *c* Christo resurgente Angelus Domini descendens de cœlo sedit super supulchrum: ita si spiritualiter Christus in te resurgit, Angelorum poteris gaudere associatione: ubi vivit adhuc & regnat vetus Adam, ibi gratum cubile Diaboli: ubi vero vivit & regnat Christus, ibi habitare gaudent Angeli. *d* Scriptum est enim, quod sit gaudium in cœlo super peccatore agente pœnitentiam. Ubi autem vera pœnitentia, ibi quoque Christus spiritualiter resurgit. Ubi Christus nondum resurrexit spiritualiter, ibi nondum est DEI gratia. *e* Ubi autem nondum est

(*a*) *Es.* 38, 13. (*b*) 6. 16, 17. (*c*) *Matt.* 26. 2. (*d*) *Luc.* 15, 7. (*e*) *Luth. in cap.* 2, *Hebr.*

eſt DEI gratia, ibi nec Angelorum cuſtodia. Ubi nondum ſpiritualiter Chriſtus reſurrexit, ibi adhuc regnat vetus Adam: ubi autem regnat vetus Adam, ibi adhuc regnat peccatum: ubi autem regnat peccatum, ibi Diabolus regnat: quæ autem communio eſſe poteſt Angelorum cum Diabolo? *a* Chriſtus reſurgens apparuit ſuis diſcipulis, eisque vivum ſe exhibuit: ita, ſi ſpiritualis reſurrectionis particeps factus es per fidem, oſtende te vivum Chriſti membrum per charitatem: non judicatur homo vivus, ſi non opera vitæ manifeſtet exterius. Ubi Chriſtus, ibi etiam S. Spiritus: ubi S. Spir. ibi agit & impellit ad omne opus bonum, quia *b* qui Spiritu DEI aguntur, illi ſunt Filii DEI. *c* Si ergo in Spiritu vivimus, in Spiritu etiam ambulemus. Solis lux undiquaque ſpargit radio-

 rum

(*a*) *Luc.* 24, 15. (*b*) *Rom.* 8, 14. (*c*) *Gal.* 5, 25.


rum ſplendorem, fidei lux undiquaque diffundit charitatis fervorem: tolle lucem à Sole, & ſeparare poteris charitatem à vera fide: Peccata ſunt *a* opera mortua; ſi in mortuis operibus ambulas, quomodo tu in Chriſto, Chriſtus in te vivit? Peccata pertinent ad veterem Adamum; ſi adhuc in te regnat vetus Adam, quomodo cum Chriſto ſpiritualiter reſurrexiſti? peccata pertinent ad vetuſtatem carnis; ſi in vetuſtate carnis ambulas, quomodo novus homo vivet? Excita nos, o bone JESU, à peccatorum morte, ut ambulemus in novitate vitæ: mors tua veterem Adamum in nobis extinguat, reſurrectio tua interiorem noſtrum hominem ad vitam revocet: Sanguis tuus lavet nos à peccatis, reſurrectio tua juſtitiæ veſtem nobis induat. Ad te, o vera vita, ſuſpiramus nos in peccatis mortui: ad

(*a*) *Hebr*. 9. 14.

ad te, o vera Justitia, suspiramus nos per peccata aversi: ad te, o vera salus, suspiramus nos propter peccata damnati: vivifica, justifica nos, Amen.

FINIS.





EXERCITIUM PIETATIS QUOTIDIANUM QUADRIPARTITUM;

Peccatorum Confeſſiones, Gratiarum actiones, Precationes & Obſecrationes complectens,

COLLECTUM

Opera & ſtudio

JOHANNIS GERHARDI,
SS. Theol. D. & in Acad. Jenenſ. Prof.

LIPSIÆ,
Sumt. Viduæ DAV. FLEISCHERI,
Typis Martini Fuldii,
Anno 1708.





Antiquo Generis Splendore, Pietate, Eruditione & Virtute Nobilissimo

VIRO

DN. PAULO HEIGELIO à POLOKOWITZ,

Senatus numerosioris in inclyta & Imperiali Norinberga Adsessori spectatissimo,

Domino Fautori & Amico suo singulariter dilecto & honorando.



SI quis, Nobilissime & Spectatissime Domine HEIGELI, Fautor & Amice singulariter dilecte, si quis, in-

 quam,

quã utilitatem piæ & seriæ præcationis cum pari necessitate conjunctam verbis percensere velit; næ is prius dicendi exordiũ; quam exodũ, meo quidẽ judicio inveniet. Est enim pia & ex fide porfecta precatio familiare cum DEO colloquium, & salutare in omnibus adversis remedium; clavis cœli, & apertio Paradisi; census nostræ subjectionis & scala ad Deum ascensionis, scutum nostræ defensionis, & nuncius fidelis legationis; in æstu calamitatum refrigerium, in morbis pharmacum; catena ad cœlum trahens, & vasculum ex fonte divinæ benignitatis hauriens; gladius contra Diabolum, & murus contra infortunium; ventus mala dispellens, & canalis bona advehens; virtutum nutrix, & vitiorum victrix; grandis animæ munitio, & libera ad DEum accessio; spirituale convivium & cœleste delicium; mœstorum consolatio, & sanctorum exultatio; secretorum Dei cognitrix, & donorum

norum DEI acquiſitrix ; columna mundi, & medela populi; gaudium cordis, & jubilus mentis; pediſſequa gratiæ,& prævia gloriæ; hortus felicitatis, & arbor jucunditatis; conſcientiæ ornamentum, & gratiarum incrementum; fuga Dæmonum,& conciliatrix Angelorum; vitæ hujus lenimentum, & ſacrificii Euchariſtici odoramentũ; vitæ beatæ prægustatio,&mortis edulcoratio,quarum appellationum catalogum benè longum *Johann Arndt*, Theologus inſignis lib. 2.de vero Chriſt.c.36. congeſſit. Quisquis vero Dei filius eſt per fidem, is filiali fiducia in precibus ſuis quotidie compellabit cœleſtem Patrem. In cujus corde Spiritus ſanctus extruxit domicilium, is quotidie tanquam ſpiritualis Sacerdos DEo offerret iſtud precationis incenſum. Sunt autem *quatuor* immota fulcra, quibus fiducia noſtra innititur, ut de clementiſſima precum exauditione poſſit eſſe certa,

videlicet 1. *omnipotens Dei bonitas ac* 2. *infallibilis ejusdem veritas*; 3. *Christi mediatoris intercessio*, & 4. *Spiritus sancti contestatio*. Primum exauditionis fulcrum est *omnipotens Dei bonitas*. Quanta nobis dedit non rogatus? animam & corpus dedit, quin & filium suum nobis dedit, quid non dabit rogatus? Majora, quæ pro nobis fecit, animent nos, ut etiam de minoribus confidamus. Omnia enim, quæ petere possumus, minora sunt, quam quod pro nobis DEI Filius dignatus est pati ac mori. Immensa ac infinita est hæc Dei bonitas, quid ergo denegare nobis poterit? Si enim qualiscunque ac quantulacunque illa dilectio, qua DEUM complectimur, hoc in nobis efficit, ut in omnibus divinæ voluntati parere ex animo desideremus, quanto magis de inæstimabili Dei dilectione & bonitate idem nobis polliceri possimus, nisi fortè dilectionem nostram divina majorem esse suspicari velimus.

mus. *a Voluntatem timentium ſeſe facit Dominus*, dicit Pſaltes, *b* nimirum quia ſinceriſſima ac perfectisſima dilectione eos proſequitur: jam vero perfecta charitas ſeſe totam impendit amato, ejusque voluntati obſequitur. Omnipotens eſt hæc DEI bonitas, quid erit, quod præſtare nobis nequeat? Summæ illi poteſtati nihil quicquam eorum, quæ promiſit, arduum aut difficile, nedum factu impoſſibile.

Alterum exauditionis fulcrum eſt *infallibilis DEI veritas.* Promiſit benigniſſime aures ſuas voci precationis noſtræ intentas fore, promisſum hoc, eſt verbum æternæ & immotæ veritatis, cum ipſe ſit αὐταλήθεια, ſeipſum & verbum ſuum negare nequit. *c* Promiſit DEUS, ſe exauditurum preces: ſi parum hoc videtur, Chriſtus etiam jurejurando id confir-

(*a*) *Ansh. in lib. de menſur. crucis.* (*b*) *Pſ.* 145, 19. (*c*) 2. *Tim.* 2, 12.

firmavit: *a Amen, Amen*, dicit ad Apostolos & sub ipsorum nomine ad quosvis vere pios, *si quid rogaveritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Si nondum credis promittenti, juranti crede. *b Cor meum proponit tibi, Domine, verbum tuum, quærite faciem meam: faciem igitur tuam requiram.*

Tertium exauditionis fulcrum est Christi *Mediatoris intercessio*, is enim *c* est *ad dextram DEI & interpellat pro nobis*, est *d Advocatus noster apud DEum*, quid huic dilectissimo Filio cœlestis Pater denegabit? quid benignissimus ille Salvator virtute ac merito satisfactionis suæ pro nobis præstitæ non impetrabit? illi patet aditus in cœleste sacrarium, is vota nostra perfert in arcanum divinitatis consilium. Hunccine Pater non audiret? illine quicquam recusaret? seipsum non audiret, sibimetipsi

(*a*) *Joh.* 16,13. (*b*) *Ps.* 27,8. (*c*) *Rom.* 8,34. (*d*) 1. *Joh.* 2,1.

ipſi quicquam recuſaret, cum Pater &Filius (*a*) *unum ſint.* Cum Filius *b* ſit *in ſinu Patris*, cum Filius *c* ſit *in Patre, & Pater in Filio. Scio, d* dicit hic interceſſor noſter ad Patrem, *quod me ſemper audias.* Ergone in diebus carnis, in ſtatu exinanitionis, in tempore infirmitatis exauditus fuerit, & in ſtatu exaltationis, in gloria majeſtatis, in plenitudine omnis poteſtatis à Patre non exaudiretur?

Quartum denique exauditionis fu'crum eſt *Spiritus ſancti conteſtatio.* (*e*) *Is teſtimonium dat ſpiritui noſtro, quod ſimus DEI Filii,* (*f*) *per illum clamare poſſumus: Abba Pater.* Ergone non exaudiret Deus illos gemitus, illos fletus, illa vota, illa ſuſpiria, quæ Spiritus ſanctus in nobis operatur? hoc eſſet opus proprium deſpicere ac repudiare: *g Spiritus eſt,*

(*a*) *Joh.* 10,30. (*b*) 1. *Joh.* 1,18. (*c*) *Joh.* 14,10. (*d*) *Joh.* 11,42. (*e*) *Rom.* 8,16. (*f*) *Gal.* 4,6. (*g*) *Rom.* 8,26.

est, qui sublevat infirmitates nostras, nos quid aut quomodo orare oporteat, nescimus, sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus; a Non humanis eloquiis pro nobis postulat, sed more Naturæ suæ superfundit se precibus nostris, ut imperitiã & improvidentiã nostrã motu suo operiat, &illa nobis àDeo petat, quæ prosunt nobis. Hæc sunt quatuor illa fulcra quibus cordis nostri fiducia tuto innititur, ne in precibus fluctuet, ac de exauditione dubitet. b *Accedamus igitur, accedamus cum fiducia ad thronum gratiæ, ut consequamur misericordiam, & gratiam inveniamus ad opportunum auxilium.* c Nemo nostrum vilipendat orationem suam: quoniam ille, ad quem oramus, non vilipendit eam, sed antequam egrediatur de ore nostro, ipse scribi eam jubet in

(a) *Ambros. in illum locum.* (b) *Hebr.* 4, 18. (c) *Bernh. medit. de devotiss. cap.6.*

in libro ſuo, & unum è duobus indubitanter ſperare debemus, quoniam aut dabit nobis quod petimus, aut quod nobis noverit eſſe utilius. Cæterum quam utile ac neceſſarium eſt *indeſinenter orare*, *a* tam difficile illud eſſe quivis cum Agathone Eremita facile intelligit; qui divinam majeſtatem ac noſtram infirmitatem recto judicio perpendit. *b* Cum aſtiteris orare Dominum, cum magno timore & deſiderio coram eo conſiſte, diſrumpe à corde tuo vincula terrenæ ſolicitudinis, viriliter agoniſare, (pugna,) ut ſit oratio tua ſancta, & munda & immaculata, & videntes eam portæ cœli aperiantur coram ea, Angeli cum lætitia occurrant ei, & usque ad thronum benedicti Patris perducant eam. *Ante orationem*, dicit Sapiens, *c præpara cor tuum, & noli eſſe quaſi qui tentat DEUM.*

Qua-

(*a*) *Luc.* 18, 1. 1. *Theſſ.* 5, 17. (*b*) *Ephrem. de lucta ſpirit. c.* 2. (*c*) *Eccleſ.* 18, 23.

Quare cum editis in publicum Meditationibus ſacris ac Scholæ Euſebianæ libris quinque corda noſtra ad veram pietatem flectere, & interioris hominis profectum promovere conatus fuerim: cumque capita conſolationum omnis generis tentationibus opponenda Enchiridio peculiari complexus ſim: unicum illud in hoc ſcribendi genere reſtare videbatur, ut libellum quendam precationum conſcriberem, ac rudioribus etiam hac in parte pro virili inſervirem. Quod uti haud invitus aggrederer, σύῤῥαξις illa calamitatum, cum qua unusquisque piorum in hoc ſeculo conflictatur, facile à me impetrare poterat. Huncce libellum ſuperioribus annis ſcriptum, Veſtræ, Vir Nobilisſime & Spectatisſime, Nobil. & Amplit. offerre & inſcribere volui, ut pro ſingulari illa benevolentia & variis beneficiis mihi exhibitis gratum meum animum declararem, & V. N.&A. pietatem cum inſigni

ſigni in literatos, præſertim Eccleſiarum ac Scholarum Doctores & alumnos, liberalitate & aliis virtutibus compluribus omnium prædicatione dignis conjunctam, publico teſtimonio comprobarem. Excurrerem in laudes V. Nob. & Amplit. uberius, niſi probe mihi conſtaret, ipſam non tam laudis, quam virtutis ſtudio præclara hactenus egiſſe, & impoſterum etiam ſedulo acturam. Suſcipe ergo, Vir honoratiſſime, chartaceum hoc munuſculum, & à mea tenuitate omnem obſervantiam, omnia obſequia, omnia officiorum genera impoſterum etiam expecta. Dominus JESUS vitæ longævitatem, atque omnem animi & corporis proſperitatem V. Nob. Clementiſſime concedat! Dab. Jenæ Cal. Junii, 1629.

V. N. & A.

ſtudioſiſſ.

JOAN. GERHARD, D.

IN-

INDEX.
ENCHIRIDII HUJUS QUADRIPARTITI
PARS PRIMA
tractat
De
MEDITATIONE PECCATORUM.

Cap.

PARS SECUNDA
tractat
DE MEDITATIONE DIVINORUM BENEFICIORUM.

Cap

PARS

PARS TERTIA
tractat
DE MEDITATIONE NOSTRÆ INDIGENTIÆ.

Cap.

PARS QUARTA
tractat
DE MEDITATIONE INDIGENTIÆ PROXIMI.

Cap. I.

Cap.






Excitat e somno TUA VOX me CHRISTE resurgam
Nam VOX dilecti, Sponse clamat TUA ut

Hilff Herr JESU, daß ich stehe
auf von Schlaff u mit dir gehe,
Weil der Winter ist vorbey,
Ach laß mich die Sünde meide,
so darffstu nicht von mir scheide,
Mach mich aller laster frey!




T DIS.



DISPOSITIO HUJUS ENCHIRIDII.

MEditationis quotidianæ capita sunt *quatuor*, pro ratione ac numero objectorum, circa quæ occupata esse debet. Expendenda enim sunt quotidie: 1. *Peccata nostra*, quorum petenda a DEO propter Christum remissio. 2. *Beneficia Dei*, pro quibus offerenda est humilis gratiarum actio. 3. *Indigentia nostra*, ubi orandum pro conservatione, & incremento donorum Spiritus sancti, ac pro spirituali in omnibus tentationibus victoria. 4. *Indigentia proximi*, ubi orandum pro iis, quæ sunt ad hanc & æternam vitam proximo necessaria.

PARS


Nehmet, esset, das ist mein Leib. Math. 26. 26.
Sumite, edite, Hoc est Corpus meum etc.
Mentiri nescis, veri qui fautor & autor:
Hinc ratio taceat, J E teneatq fides.
Du kanst ja nicht lügen noch jemand betriegen Herr Jesu mein Hort
drümb will ich dir trauen mit glau
n anschauen was saget dein wort



PARS PRIMA
De
MEDITATIONE
PECCATORUM.

Meditatio peccatorum complectitur hæc duo *capita, ut gravitas peccati originalis ac peccatorum actualium cognoſcatur. Peccata actualia perpetrantur cogitatione, dictis, factis: mali commiſſione, boni omiſſione: contra Deum, proximum & nos ipſos: ſunt delicta juventutis, ſunt & quotidianæ infirmitates: à carne ſemper tentamur, ſæpius ſuccumbimus: participamus quandoque peccatis alienis: & in multis ipſi deficimus, quinimo peccatorum noſtrorum ab omnibus creaturis rei peragimur, ac ſeveritatem iræ divinæ adverſus peccata in Chriſti paſſione & morte intuemur.*

CAPUT I.

PECCATI ORIGINALIS GRAVITATEM EXPENDIT.

SAncte DEUS, juste judex, ſcio, *a* me in peccatis conceptum & natum, ſcio, *b* ex immundo ſemine in utero matris me eſſe formatum: venenum illud peccati totam meam naturam ita corrupit & infecit, ut nullæ vires animæ ab illius contagione ſint liberæ. Periit in me ſanctum illud imaginis divinæ depoſitum in primo generis noſtri parente mihi concreditum: nullæ ſuperſunt vires ad ſalutarem tui agnitionem, timorem, fiduciam & dilectionem inchoandam; nulla ſupereſt *ἱκανότης* ad obedientiam mandatis tuis præſtandã: voluntas mea à lege eſt averſa, *c* & lex peccati in membris meis, repugnans legiments meæ facit, ut tota mea Natura ſit corrupta& perverſa. Mi-

a) *Pſ.* 51, 7. (*b*) *Job*, 14, 4. (*c*) *Rom.* 7, 23.

Miser ego & miserabilis sentio impetum peccati, in membris tenaciter inhærentis, sentio pravæ concupiscentiæ jugum graviter me prementis. Quamvis enim in baptismi lavacro *a* per Spiritum gratiæ regeneratus sim, & renovatus: tamen à peccati jugo & captivitate nondum liber sum totus; Siquidem *b* radix illa amaritudinis, in me delitescens, semper expetit progerminare. Lex peccati in carne furens, nititur me captivare; plenus sum dubitationibus, diffidentia, appetitu honoris proprii: *c* Ex corde exeunt pravæ cogitationes, quæ me totum coram te coinquinant: ex venenato fonte rivuli venenati promanant. *d* Ne igitur intres in judicium cum servo tuo, Domine, sed *e* propitius esto mihi secundum misericordiam tuam magnam. *f* Abyssus meæ miseriæ invo-

(*a*) *Tit.* 3,5. (*b*) *Hebr.* 12, 1, (*c*) *Matth.* 15, 19. (*d*) *Ps.* 143,3. (*e*) *Ps.* 51,1. (*f*) *Ps.* 42, 8.

cat abyſſum tuæ miſericordiæ. Pro hac fœditate immundæ meæ Naturæ offero tibi ſanctiſſimam conceptionem Filii tui. Mihi *a* ille natus eſt: mihi ergo & conceptus. *b* Mihi factus eſt ſanctificatio & juſtitia: ergo etiam mihi factus eſt purificatio & munditia. Per hunc & propter hunc Filium tuum miſerere mei, altiſſime, & abſconditum corruptionis malum, in Natura mea hærens, ne ponas *c* in vultus tui lumine: ſed dilectum Filium tuum, Mediatorem meum, intuere: ejus ſanctiſſima & incontaminata conceptio meæ miſeriæ ſubveniat, Amen.

(*a*) *Eſ.* 9, 6. (*b*) 1. *Corinth.* 1, 30. (*c*) *Pſ.* 90, 9.

CAP. II.

PECCATA JUVENTUTIS IN MEMORIAM REVOCAT.

SAncte DEUS, juſte Judex, delictorũ *a* juventutis meæ ne memineris, &

(*a*) *Pſ.* 25, 7.

& *a* præteritorum peccatorum meorum ne recorderis amplius. Radix concupiſcentiæ vitioſa in me hærens quam multos venenatos in pueritia mea protulit fructus? Peccati originalis malum quam numeroſos actualium delictorū edidit fœtus? *b* Cogitationes cordis meæ pravæ & perverſæ ſunt à prima inde pueritia, imo à tenera infantia. Siquidem cum eſſem infans unius diei, coram te innocens *c* haud quaquam fui. Quot ſunt dies vitæ meæ, totidem me gravant culpæ, imo adhuc longe plures & numeroſiores: cum *d* vel in una die ſepties cadat juſtus. Quod ſi juſtus in die cadit ſepties, ego perditus & injuſtus procul dubio cecidi ſeptuagies ſepties. Crevit vita, crevit peccatorum tela. Quantum acceſſit vitæ ex tuo beneficio, tantum acceſſit peccatorum ponderi ex corruptæ Naturæ meæ vitio. Examino

(*a*) *Jer.* 31, 34. (*b*) *Gen.* 6, 5. (*c*) *Job.* 14, 4. *d Prov.* 24, 16.

vitam anteactam, & quid aliud intueor, quam fœdissimam quandam peccatorum tunicam? Attendo præceptorum tuorũ lucem, & quid aliud in exacto annorum meorum cursu invenio, quam tenebras & cœcitatem? Tenerrimus ille juventutis meæ flosculus virtutum coronis adaptari & in odorem fragrantiæ DEo debebat offerri. Optimum ætatis meæ debebatur utique optimo creatori Naturæ. At lutulenta peccatorum fœditas florem illum ætatis meum turpissime conspurcavit: graveolens delictorum cœnum miris ac miseris modis eum commaculavit. Prima hominis ætas inter reliquas omnes aptissima servitio Dei: sed ejus bonam partem impendi servitio Diaboli. Multorum mihi obversatur peccatorum memoria, quæ effrenis juventutis meæ perpetravit licentia, sed memoriam meam adhuc fugiunt longe plura. Delicta *a*

quis

(*a*) *Ps.* 19, 13.

quis intelligit? ab occultis servum tuum munda. Pro his juventutis meæ delictis offero tibi, Sancte Pater, sanctissimam Filii tui obedientiam, ac perfectissimam ejus innocentiam, *a* qui tibi obediens factus usque ad mortem, mortem autem crucis. Cum *b* puer duodecim annorum esset, sanctam obedientiam tibi præstitit, & voluntatem tuam summa promtitudine exequi cœpit. Hanc obedientiam, juste judex, offero in pretium & satisfactionem pro multiplici juventutis meæ inobedientia, Amen.

(*a*) *Phil.* 2, 8. (*b*) *Luc.* 2, 42.

CAP. III.

LAPSUS QUOTIDIANOS RECENSET.

SAncte DEUS, juste Judex, nemo coram te innocens est, à peccati *a* labe immunis nemo: destituor *b* & ego

(*a*) *Job.* 14,7. (*b*) *Rom.* 3,23.

ego gloria illa, quam me oporetbat mecum ad tuum afferre judicium: destituor innocentiæ veste, qua indutus comparere debebam ante tuum conspectū: septies *a* imo pluribus vicibus singulis horis cado: septuagies septies singulis diebus pecco: Spiritus *b* quidem interdum promtus est; sed caro semper infirma. Viget quandoque ac roboratur homo interior; sed languet ac infirmitur homo exterior. Nec enim *c* quod volo bonum, hoc ago: sed quod nolo, malum. Quoties vanæ, pravæ ac impiæ cogitatationes in mente exsurgunt! Quoties vana, inutilia & noxia verba prorumpunt! Quoties perversa, prava & iniqua facta me polluunt! *d* Omnes meæ justitiæ sunt sicut pannus mulieris menstruatæ. Ego *e* justitiam meam coram te stabilire non audeo: sed coram justissimo

(*a*) *Prov.* 24, 16. (*b*) *Matth.* 26, 41. (*c*) *Rom.* 7, 19. (*d*) *Es.* 64, 6. (*e*) *Rom.* 10, 3.

mo tuo tribunali me pronus humilio, & *a* ex profundis ad te clamo: Domine, si peccata imputare decreveris, quis sustinebit? si in *b* judicium intrare volueris, quis permanebit? Si ad severum justitiæ tuæ exame me volueris sistere, quomodo coram te potero consistere? Si *c* exactā vitæ meæ rationē vis requirere, ad mille ne unum quidem potero respondere. *d* Obstruitur ergo os meum: dignum æternis cruciatibus me coram te profiteor & æterno me carceri jure mancipari posse, cum lachrymis confiteor. Pro his quotidianis vitæ meæ peccatis offero tibi, Sancte Pater, pretiosissimū Filii tui sanguinē effusum in ara crucis, *e* qui me lavat ab omnibus meis delictis. Peccata mea, quæ me captivant, sunt hostes longe plurimi & potentissimi, sed longe pretiosius & efficacius est λύτρον Filii tui. Illud perfectissimum, plenissimum & sanctissimum

(*a*) *Ps.* 130,1.3. (*b*) *Ps.*143,3. (*c*) *Job.* 9,3. (*d*) *Rom.* 3,19. (*e*) 1. *Joh.* 1,9.

mum Christi pretium cedat mihi in remissionem meorum delictorum, Amen.

CAP. IV.

VITAM JUXTA NORMAM PRIMÆ DECALOGI TABULÆ EXAMINAT.

SAncte DEUS, juste Judex, dedisti *a* nobis legem tuam in monte Sinai, eamque omnium nostrarum actionum, verborum & cogitationum normam esse voluisti, adeo, ut quicquid cum hac norma non est congruum, *b* reputetur in judicio tuo peccatum.

Quoties lucidissimum illud speculum agnosco, fœditatem meam perspicio & totus cohorresco. Diligere te, DEUS meus, super omnia debeo: at *c* quoties mundum diligo & tuæ di-

(*a*) *Exod.* 20, 1. (*b*) 1. *Joh.* 3, 4. (*c*) *Joh.* 2, 15.



Prostratum cerno jam TE mitissime JESU,
da spernam molles hic ego delicias.

Wañ mich meine böse weiß
ietzt von Gott will bringen,
Denckt mein hertz ahn Christi schweiß
und sein Todes-ringen.







In coelis sponsus meus est terrestria linquam:
Nequid me tardet, Tu trahe, CHRISTE, trahe.

Weil du Herr Christ zu gut uns bist
gen Himmel aufgereißet.
So bitt ich dich führ auch du mich
dahin, da man dich preiset.

dilectionis me capit oblivio ! Timere te , Deus meus , debeo ſuper omnia: at quoties conſentio in peccata , & timor tuus mea excidit memoria ! Requiris , ut tibi , Deus meus , ſuper omnia confidam : at quoties in adverſis cor meum fluctuat , ac de paterna tua cura ſolicite atque anxie dubitat ! Obedire tibi , Deus meus , debeo ex toto corde : at quoties caro mea refractaria huic obedientiæ propoſito renititur , *a* & me interdum captivat peccati carcere ! Sanctæ debebant eſſe cogitationes meæ , ſancta & munda deſideria : at quoties vanis & impiis cogitationibus turbatur tranquillæ mentis gloria ! Invocare te , Deus meus , debeo ex toto corde : at quoties mens in precibus vagatur , ac ſollicite angitur de exauditione ! Quam ſum ad preces remiſſus , & in fiducia concipienda demiſſus , quam ſæpe lingua quidem orat , nec tamen adoro *b* te in Spiritu & veritate !

(*a*) *Rom.* 7 , 23. (*b*) *Joh.* 4 , 23.

Quam profunda beneficiorum tuorum ſæpe me capit oblivio! Quotidie beneficia tua largiter in me fundis, nec tamen quotidie pro beneficiis gratias tibi refundo. Quam frigida de immenſis & infinitis tuis in me collatis muneribus cogitatio! Quam tenuis in corde meo ut plurimum devotio! Utor donis tuis, nec tamen prædico te datorem: Hæreo in rivulis, ad fontem non propero. Verbum *a* tuum verbum Spiritus vitæ eſt: ſed fructificationem ejus ſæpe *b* impedio, & opus Spiritus ſancti in me ipſo deſtruo. Scintillam boni propoſiti accenſam ſæpius extinguo, nec incrementa donorum anxie flagito. Pro his & omnibus peccatis ac defectibus meis offero tibi, Deus meus, puriſſimam & perfectiſſimam Filii tui obedientiam, qui te ex toto corde perfecte in diebus carnis ſuæ dilexit, & toto corde perfectiſſime tibi adhæſit, in cujus factis, verbis & cogitatio-

(*a*) *Joh.* 6, 63. (*b*) *Matth.* 13, 7.



Hospes accedo. dignum Tu reddere
spondes.
Fac ergo dignum gloria quo
Tua sit.

Diweil du den schwahen Herr, würdig wilst
machen Zu nehmen die speiß,
Ach laß michs erkenen, den Heiland dich
nennen, vnd geben dir preiß.



tionibus [a nulla inventa eſt peccati macula, nulla vel minimæ culpæ labecula. Quod mihi deeſt, id fidenter ex ejus plenitudine haurio. Propter dilectum iſtum Filium miſerere ſervi tui, Domine, Amen.

(*a*) *Eſ.* 53, 9.

CAP. V.

VITAM JUXTA NORMAM SECUNDÆ TABULÆ CONSIDERAT.

SAncte DEUS, juſte Judex, æterna & immota tua voluntas eſt, ut *a* Parentes meos & Magiſtratus vero honore proſequar: at quoties nimis tenuiter de illorum autoritate cogito, veram cordis obedientiam illis detrecto, infirmitates eorum traduco, nec *b* ſeriis precibus eorum incolumitatem promoveo, iram adverſus eos ſæpius foveo, quibus me in patientia totum ſubmittere debeo. Sancta tua voluntas requirit, ut proximo in omni-

(*a*) *Exod.* 20, 12. (*b*) 1. *Tim.* 2, 2.

mnibus, quantum possum, inserviam: sed quoties beneficentiæ me capit tædium, & condonationis fraternæ fastidium! Quoties ad iram, odium, invidiam & rixas a carne mea solicitor! Quoties fervet irati cordis incendium interius, etiamsi verba contentiosa non audiantur exterius! Sancta tua voluntas requirit, ut caste, pudice ac temperanter vivam: Sed quoties amor crapulæ & libidinis animam meam peccato facit captivam! Quoties intus fervent libidinum incendia, etiamsi cohibeantur exteriora membra! Qui *a* aspicit mulierem ad concupiscendum eam, jam fornicatus est cum ea in corde suo, dicit veritas. Quoties ergo coram Dei judicio fornicationes perpetramus! Ususus cibi, potus (ac conjugii) inordinatus & immoderatus sæpe nobis non advertentibus subrepit, & nos coram te reos reddit, si in judicium nobiscum intrare volueris. Sancta tua volun-

(*a*) *Matth.* 5, 28.

voluntas requirit, ut proximum nullo modo in negotiis decipiam: Sed potius ejus commoda promoveam: nævos ejus haud quaquam traducam, ſed pallio charitatis tegam, nec intempeſtivo ac temerario judicio eum arguam. At quoties meum quæro cum injuſtitia commodum! Quoties de proximo temerarium profero judicium! Sancta tua voluntas requirit, ut ab omni prava concupiſcentia liber ſit Spiritus, libera ſit mens, libera ſit anima mea. At quoties caro mea me ad peccatum ſollicitat, & pravis concupiſcentiis etiam Spiritum contaminat! Sicut *a* fons perenni aquarum ſcaturigine exundat: ita cor meum pravis concupiſcentiis perpetuo æſtuat. Pro his & omnibus meis peccatis & defectibus offero tibi, Sanctiſſime Pater, perfectiſſimam Filii tui obedientiam, qui omnes homines perfecto amore dilexit, & in ore *b* ejus non eſt inventus

 dolus,

(*a*) *Jer.* 6, 7. (*b*) *Eſ.* 53, 9. 1. *Pet.* 1, 22.

dolus: nec in verbis aut factis ulla aberratio, nec in natura corruptio. Ad hoc *a* propitiatorium vera fide confugio, ac per fidem ex vulneribus ejus haurio, quantum mihi ad justitiam & salutem sufficit. Miserere mei, Deus meus, & Pater meus, Amen.

(*a*) *Rom.* 3, 25.

CAP. V.

ALIENIS PECCATIS SÆPIUS NOS PARTICIPARE OSTENDIT.

SAncte Deus, juste Judex, commisisti mihi non solum meæ animæ, sed & proximi curam. At quoties proximus mea negligentia magnam facit pietatis jacturam! Quoties eum in peccatis haud satis libere & confidenter increpo! Quoties vel metu vel favore retractus minus libere ipsius delicta arguo! In *a* precibus pro salu-

(*a*) 1. *Tim.* 2, 1.

ſalute ejus fundendis ſum remiſſus: In peccatis *a* ipſius increpandis timidus: in ſalute ipſius promovenda languidus: Ita, ut juſtiſſime ſanguinem pereuntis proximi a me requirere poſſes. Si perfecta ac ſincera in me eſſet proximi dilectio, utique etiam liberrima ex illa procederet increpatio. Si in corde meo ignis ſinceræ charitatis arderet, utique etiam in ſpirituale incenſum precum pro ſalute proximi faciendarum clarius prorumperet: Pro ſeipſo orare, eſt neceſſitatis: at pro ſalute proximi rogare, charitatis. Quoties igitur preces pro ſalute proximi negligo, toties violati dilectionis mandati me ipſum damno. Moritur proximus corporis morte, & ecce luctu ac gemitibus omnia compleo: cum tamen mors corporis nullum afferat pio homini nocumentum: ſed potius ad cœleſtem Patriam præbeat tranſitum. Moritur proximus animæ morte,

(*a*) *Ezech.* 3, 21.

peccata mortalia perpetrando, & ecce ſecuro animo ipſum mori video, nec ulla ratione doleo: cum tamen peccatum ſit vera mors animæ, per quod inæſtimabilis fit jactura divinæ gratiæ, & æternæ vitæ. Offendit proximus Regem, qui corpus poteſt occidere: & ecce modis omnibus quæro ipſius reconciliationem. Offendit Regum omnium Regem, qui *a* animam & corpus poteſt in gehennam mittere: & ecce ſecuro animo illud intueor, nec cogito infinitum malum eſſe iſtam offenſionem. Impingit proximus ad lapidem, accurro promptus, ut ipſum vel à lapſu cuſtodiam, vel ex lapſu ſublevem. Impingit *b* in angularem ſalutis noſtræ lapidem, & ecce ſecure hoc negligo, nec ut ipſum viciſſim erigam, debita cura ac diligentia laboro. Mea peccata ſatis multa ac gravia ſunt, nec tamen timui alienis etiam participare. Propitius eſto, o Deus! peccatori ma-

(*a*) *Matth.* 10, 28. (*b*) *Pſ.* 118, 22.

magno, & nimis onerato. Ad tuam confugio misericordiam in Christo, & per Christum mihi promissam: accedo ad hanc *a* vitam, ego in peccatis mortuus: accedo ad hanc viam, ego in peccatorum tramite errans: accedo ad hanc salutem, ego propter peccata damnationis reus. Vivifica, dirige & salva me, vera vita, via, salus mea in æternum, Amen.

(*a*) *Joh.* 14, 6.

CAP. VII.

UNDIQUE PECCATORUM NOS CONVINCI MONET.

SAncte Deus, juste Judex, si respicio in cœlum, cogito, te Deum meum multis modis a me offensum. Peccavi *a* Pater, in cœlum & coram te: non sum dignus vocari filius tuus. Si respicio in terram, cogito creaturis me per peccata turpiter abusum. Non solum noctis caligine,

(*a*) *Luc.* 15, 18.

ſed & diei luce ad opera tenebrarum ſæpius abuſus ſum peſſime. Si reſpicio exempla peccatorum, quos juſto judicio pœnis ſubjeciſti, invenio me delictorum pondere ipſis eſſe parem. Si reſpicio exempla ſanctorum, invenio me illis in ſancto tibi inſerviendi ſtudio longe imparem. Si de Angelo cuſtode meo cogito, invenio eum ſæpius peccatis à me eſſe fugatum. Si de Diabolis cogito, invenio eorum inſpirationibus à me ſæpius locum eſſe datum. Si rigorem legis tuæ perpendo, invenio multis modis vitam meam ab illius norma diſcrepare. Si me ipſum reſpicio, invenio cordis mei cogitationes coram Judicio tuo me accuſare. Si venturam mortis horam cogito, invenio eam eſſe juſtiſſimum peccatorum meorum *a* ſtipendium, ac niſi ex mera miſericordia propter Chriſtum me receperis, æternæ mortis fore januam ac initium. Si venturum judicium

(*a*) *Rom.* 6, 23.

cium cogito, invenio me commeruisſe, ut peccata mea diſtrictiſſima ejus ſeveritate vindicentur, & ad exactisſimum juſtitiæ divinæ calculum revocentur. Si infernum cogito, invenio me peccatis meis pœnas ejus juſtiſſimas commeruiſſe. Si vitam æternam cogito, invenio ejus adipiſcendæ ſpe peccatis meis me jure ac merito excidiſſe. Omnia ergo peccatorum me convincunt meorum, tu modo, o Deus meus, *a* ne vertaris mihi in crudelem! Ad Chriſtum, Filium tuum dilectum, mediatorem meum unicum, confugio, per illum gratiam tuam & peccatorum remisſionem mihi obtingere firmiſſime credo. Accuſant me creaturæ, accuſat liber conſcientiæ, accuſant legis divinæ tabulæ, accuſat Satanas die & nocte: tu vero, o benigniſſime Jeſu, patrocinium meum ſuſcipe: tibi *b* derelictus eſt pauper, quem vides omni creaturarum ſolatio deſtitutum: in

(*a*) *Job.* 10, 16. (*b*) *Pſ.* 10, 14.

tua pro peccatis meis ſatisfactione, in tua ad dextram Patris pro me interceſſione omne mihi perfugium conſtitutum. Accipe, anima mea, pennas auroræ, & inſtar columbæ abſconde te in petræ foraminibus, hoc eſt, in Chriſti Salvatoris tui vulneribus: *a* abſconde te in hac petra, donec pertranſeat ira Domini, & invenies in ea requiem, invenies protectionem, invenies liberationem, Amen.

(*a*) *Cant.* 2, 14.

CAP. IIX.

EX CONTRITIONIS EFFECTIBUS DE PECCATI GRAVITATE NOS CONVINCI ARGUIT.

SAncte DEUS, juſte Judex, *a* cor meum contritum eſt & humiliatum, ſpiritus triſtis, & coanguſtatus, propter peccatorum meorum, quo premor, podus. Defecit virtus cordis mei, & vigor oculorum meo-

(*a*) *Eſa.* 66, 1. rum

rum periit: comprimitur cor meum, proinde erumpunt lachrymæ: comprimitur Spiritus meus, proinde obliviſcor ſumere panem meum: vulneratum eſt cor meum, inde ſanguis vulnerati cordis, fons lachrymarum, profluit. *a* Delicta quis intelligit? Proinde etiam quis dolorem cordis ob delicta coanguſtati intelligit? Sitit *b* anima mea arida & contrita ad te, fontem vitæ, o Chriſte, paſce me rore Spiritus ac gratiæ. Gemit ad te cor meum coanguſtatum: o vera lætitia, *c* redde mihi pacem & quietem cordis: ut fide juſtificatus *d* pacem habeam apud Deum. Condemnat me *e* cor meum, tu me abſolve, qui fortior es meo corde. Accuſat me conſcientia mea, tu me abſolve, qui *f* conſcientiæ chirographum confixiſti in cruce. Offero tibi, Deus meus, *g* cor meum contritum & humilia-

(*a*) *Pſ.* 19, 13. (*b*) *Pſ.* 42, 3. (*c*) *Pſ.* 51, 10. (*d*) *Rom.* 5, 1. (*e*) 1. *Joh.* 3, 20. (*f*) *Col.* 2, 14. (*g*) *Pſ.* 51, 19.

miliatum in gratissimum quoddam sacrificium : offero tibi gemitus meos, veræ & seriæ contritionis nuntios: offero tibi lachrymas meas, serii doloris testes, uberrimas. In me despero, in te respiro : in me deficio, in te reficior: in me sentio angustiam, in te iterum invenio lætitiam. Laboro *a* & oneratus sum nimis tu me reficies & requiem animæ meæ, concedes. Abyssus *b* abyssum invocat: abyssus meæ miseriæ abyssum tuæ misericordiæ. De *c* profundis ad te clamo, projice *d* peccata mea in profundum maris. Non *e* est sanitas in carne mea propter iram tuam : non est pax in ossib9 meis propter peccatum meũ: quoniam iniquitates meæ transennt caput meum, sicut onus grave graviores fuerunt me: sana animam meam, cœlestis Medice, ne absorbeat ab æterna morte:

(*a*) *Matth.* 11, 28. (*b*) *Psal.* 42, 8. (*c*) *Ps.* 130, 1. (*d*) *Mich.* 7, 19. (*e*) *Ps.* 38, 4. 5.

te: transfer onus peccatorum meorum a me, qui illud in te sustulisti in cruce, ne desperem sub hoc importabili pondere. Miserere mei, fons gratiæ & misericordiæ, Amen.

CAP. IX.

OMNIA DEI BENEFICIA DE PECCATORUM GRAVITATE TESTARI DOCET.

SAncte Deus, juste Judex, quo plura in me beneficia contulisti, eo magis doleo, quod te patrem tam beneficum toties offendi. Quotcunque in me contulisti munera, totidem mihi transmisisti amoris vincula. Devincire me tibi voluisti: sed ego tui tuæque oblitus benignitatis, peccatorum numerum cumulavi. Peccavi Pater, in cœlum & coram te, *a* non sum dignus vocari filius tuus, fac me sicut unum ex mercenariis tuis. Displiceo totus mihi, effice,

(*a*) *Luc.* 15, 19.

effice, ut placeam totus tibi. Larga tua benignitas, & mirabilis *a* longanimitas ad pœnitentiam me diu invitarunt: ſed venire hactenus detrectavi. Sæpius *b* me vocaſti, benigniſſime Deus, per verbi prædicationem, per creaturarum admonitionem, per crucis caſtigationem, per internam inſpirationem; ſed obſtruxi aures cordis mei penitus ad iſtam vocationem. Omnes animæ meæ vires, omnia corporis mei membra ſunt dona tua: omnibus igitur animæ viribus, omnibus corporis membris paratus eſſe debuiſſem ad ſancta ſervitia, tibi debita: ſed feci ea, proh dolor! injuſtitiæ & iniquitatis arma. Tuus eſt ſpiritus, quem traho: tuus eſt aer, quem haurio: tuus eſt Sol, cujus lucem quotidie video: omnia illa ad vitæ ſanctitatem mihi debuiſſent eſſe adminicula & inſtrumenta: ſed conferti ea, proh dolor! in peccati ſervitia. Creaturis utendum erat

(*a*) *Rom.* 2,4. (*b*) *Matth.* 23,37.

rat ad Creatoris gloriam; ſed peſſime illis abuſus ſum ad ejnsdem ignominiam. In Solis luce induenda *a* erant lucis arma: ſed perpetravi in eisdem tenebrarum opera. Quicquid vitæ meæ additur, ex tua benignitate mihi confertur. Tota igitur vita mea inſervire debuiſſet ei, à quo dependet tota; ſed ſancto tuo miniſterio vix impenſa fuit pars illius minima. Quotquot ſenſi inſpirationes bonas, totidem ablegaſti ad me gratiæ tuæ famulas, quibus ut per veram pœnitentiam ad te redirem, benigniſſime ſum invitatus; ſed heu quoties amantiſſimum earum alloquium præfracte ſum averſatus! Suſcipe eum, qui jam tandem cum gemitu & contrito corde ad te redit: Aſperge me ſanguine Filii tui, ut ab omnibus *b* inquinamentis carnis & Spiritus mundatus, ſuper *c* nivem dealber, & in cœleſti Hieroſolyma, cum omnibus

(*a*) *Rom.* 13, 12. (*b*) 2. *Cor.* 7, 1. (*c*) *Pſ.* 51, 9.

bus electis, æternum te prædicem, Amen.

CAP. X.

SEVERITATEM IRÆ DIVINÆ ADVERSUS PECCATA IN CHRISTI PASSIONE AC MORTE CONSIDERAT.

SAncte Deus, juste Judex, aspicio Filium tuum in cruce pendentem, & rivos sanguinis largiter effundentem: aspicio eum, & ecce præ terrore penitus deficio. Peccata mea sunt ferrei isti clavi, quibus manus & pedes ejus perforavi: peccata mea sunt horridæ istæ spinæ, quibus sanctissimum illius caput, ipsis Angelicis potestatibus reverendum, coronavi: peccata mea sunt aculeatæ istæ scuticæ, quibus purissimum ipsius corpus, proprium divinitatis templum, flagellavi. *a* Fera pessima cœlestem illum Josephum laceravit, & tunicam ipsius

(*a*) *Gen.* 3, 33.

ipsius sanguine cruentavit. Ego miser peccator sum fera illa pessima: siquidem in hunc dilectissimum tuum Filium, agmine facto, *a* irruerunt mea peccata. Si tantopere obedientissimus filius angitur & laborat propter peccata aliena, quid inobedienti ac immorigero servo metuendum erit propter peccata propria? Vere magna & lathalia fuisse oportet animæ meæ vulnera, propter quæ sananda unigenitus Filius tam misere percutitur. *V*ere magnum & lethalem oportet fuisse animæ meæ morbum, propter quem curandum ipse cœlestis Medicus, ipsa vita, in ligno moritur. Video sanctissimæ illius animæ cruciatum: audio miserabilem sanctissimi Salvatoris mei in cruce *b* ejulatum: propter me ita angitur, propter peccata mea se a Deo derelictum conqueritur. Si pondus alienorum peccatorum tantopere premit omnipotentem Dei Filium, ut sudo-

(*a*) *Es.*53,6. (*b*) *Matth.*27,46.

ſudorem ipſi exprimat ſanguineum, quam intolerabilis erit Dei ira, ac furor ejus inæſtimabilis adverſus inutilem ſervum! O *a* aridum & infelix lignum, æternis gehennæ ignibus mancipatum, quid metuendum eſt tandem tibi, cum hæc fieri videas in ligno viridi? Chriſtus eſt arbor viridis in radice divinitatis, in charitate humanitatis, in ramis virtutum, in foliis ſanctorum verborum & in fructu bonorum operum: eſt cedrus pudicitiæ, ac vitis lætitiæ, palma patientiæ, & oliva miſericordiæ. Quod ſi viridem hanc vitæ arborem propter peccata aliorum ignis iræ divinæ accendit, quanto magis peccatorem, propter infrugifera opera, velut aridam arborem, penitus abſumet! Quam grandibus & ſanguinolentis literis peccata mea in Chriſti corpore apparent ſcripta! quam conſpicua eſt, o juſtiſſime Deus, adverſus iniquitates meas ira tua! Quam arctam oportet

(*a*) *Luc.* 23, 31.

portet fuiſſe captivitatem meam, cum tam pretioſum detur λύτρον ad ſolvendum eam! Quantas oportet fuiſſe peccatorum meorum maculas, cum rivi ſanguinum ex Chriſti corpore defluant ad eas abluendas! O juſtiſſime Deus, atque idem benigniſſime Pater, reſpice quam indigna pro me paſſus Filius tuus, & obliviſcere, quam indigna operatus ſit peſſimus tuus ſervus. Profunda ipſius vulnera intuere, & peccata mea *a* demerge in profundiſſimum miſericordiæ tuæ mare, Amen.

(*a*) *Matth.* 7, 19.

PARS SECUNDA

DE MEDITATIONE BENEFICIORUM DIVINORUM.

M*Editatio beneficiorum divinorum ex Naturæ & Eccleſiæ horto pulcherrimo varios eosdemque fragrantiſſimos munerum divinorum* *flo-*

flores colligit, eorum odore ſeſe in Spiritu recreat, & ſacrificia labiorum, in odorem ſuavitatis, vicisſim Deo offert. Diſpeſci autem poſſunt beneficia Dei immenſa ac innumerabilia juxta tres fidei Chriſtianæ articulos. *Deus creavit, redemit ac ſanctificavit nos; cumulat maximis in hac vita bonis, majora promiſit in vita æterna. Confert in nos animæ & corporis externa bona; cuſtodit a malis, conſervat in bono: quod factum, tegit, quod futurum, regit: plures ſunt gratiæ ejus privatæ, quam poſitivæ. Breviter, nec verbis, nec cogitatione numerum ac dignitatem beneficiorum divinorum aſſequi poſſumus, quæ æternæ laudis in futura vita materia olim erunt uberrima.*

CAP. I.

GRATIAS AGIT PRO FORMATIONE IN UTERO MATRIS, ET AD HANC VITAM NATIVITATE.

OMnipotens, æterne Deus, Pater, Fili, & Spiritus ſancte; tibi gratias ago, te prædico, te glorifico, quod *a* manus tuæ plasmaverunt me, & fecerunt me totum in circuitu. Sicut *b* lutum in utero matris meæ me finxiſti, ſicut *c* lac me mulſiſti, & tanquam *d* caſeum me coagulaſti, cute & carne veſtiviſti me, atque osſibus & nervis compegiſti me; *e* vitam & miſericordiam feciſti mecum, & viſitatio tua cuſtodivit Spiritum meum. Hanc miſericordiam tuam magnam mihi præſtitam æternis celebrabo laudibus, bonitatem tuam ſempiternis prædicabo cantibus. Protexiſti

(*a*) *Jod.* 10, 8. (*b*) *Job.* 10, 9. (*c*) *b.* 10. (*d*) *b.* 11. (*e*) *b.* 12.

texisti *a* me in utero matris meæ. Confitebor *b* tibi, quia mirabiliter formatus sum, mirabilia sunt opera tua, & anima mea hoc cognoscit probe: non est *c* occultatum os meum a te, quod fecisti in occulto, quando variis membris decorasti me in inferioribus terræ. Imperfectum meum *d* viderunt oculi tui, & in libro tuo scripti erant omnes dies, qui futuri erant, & nondum unus extabat ex illis. Mihi *e* vero quam preciosæ! sunt cogitationes tuæ, Deus! quam magna est earum summa! Si *f* dinumerare eas coner, invenio eas multiplicatas super arenam maris. Misericordiam tuam mihi exhibuisti, antequam eam intelligerem: prævenisti me beneficiis tuis, antequam ea desiderarem: complexa me est benignitas tua, antequam pro ea gratias agerem. Tu es, qui non solum mirabiliter me in utero formasti, sed *g* etiam

(*a*) *Ps*.139,13.(*b*) *v*.14. (*c*) *v*. 15.(*d*) *v*. 16.(*e*) *v*,17.(*f*) *v*,18.(*g*) *Ps*.22,10.11.





Quid cupis a me, nam Tu das
atq exigis idem
TE celebrem, donas, exigis ut
rogitem

Laß deinen geist, was du verheist,
Herr Christum mein hertz drücken,
Das keine noth, Ja selbst der Todt
nicht mögen es verrücken.

etiam de utero matris meæ me eduxiſti: tu es ſpes mea ab uberibus matris meæ: in te projectus ſum ex utero, de ventre matris meæ, Deus meus es tu. Quoties multos in utero materno, antequam ad vitales hujus luminis auras prodirent, extinctos eſſe cogito, toties miſericordiam tuam, quæ ex iſto carcere in hujus mundi theatrum me vivum atque incolumen eduxit, admiror atque prædico. Quot præterierunt anni, in quibus nihil eram. Tibi vero placuit hoc corporis mei domicilium mihi extruere, & ex abyſſo illa & tenebris materni uteri me eruere. Animam rationalem mihi dediſti, hominem, non lapidem aut ſerpentem, me eſſe voluiſti. Tibi, Deus meus, pro hac miſericordia ſit honor & gloria in ſecula, Amen.

CAP. II.

GRATIAS AGIT PRO SUSTENTATIONE.

GRatias tibi ago, omnipotens ac

misericors Deus, quod inde a primis vitæ meæ diebus mirabiliter me sustentasti. Nudus *a* veni in hunc mundum, tu benigne me vestivisti. Famelicus in hunc mundum intravi, tu me hactenus largiter pavisti. In *b* te vivo, sum ac moveor: absque te in nihilum recido ac morior. In te membra mea flecto ac moveo: absque te vitæ ac motus particeps esse nequeo. Tuus est Sol, *c* qui mihi lucem præbet, quem oculis meis quotidie conspicio: tuus est aer, quem continua respiratione haurio: tuus est dies, tua est nox, cujus vicissitudines labori & quieti meæ serviunt: tua est terra, cujus fructus me benignissime alunt: tua est omnis in cœlo, aere, terra ac mari creatura, usui & servitio meo destinata, tuum est *d* argentum, tuum est aurum: quicquid ad vitæ hujus sustentationem mihi est necessarium, id omne largissimis tuis ma-

(*a*) 2. *Tim.* 6, 7. (*b*) *Act.* 17, 28. (*c*) *Matth.* 5, 45. (*d*) *Hagg.* 2, 9.

manibus referendum eſt acceptum. Quam liberalis in genus humanum es, o DEus! omnia in uſum hominum olim creaſti: omnia propter hominem adhuc hodie conſervas. Quicquid creaturis exhibes, mihi exhibes: quia propter me illas omnes mirifice formas, inſtruis & conſervas. quædam creaturæ inſerviunt mihi ad obſequendum; quædam ad nutriendum; quædam ad veſtiendum: quædam ad ſanandum; quædam ad caſtigandum. Omnes autem ad docendum & informandum. Quis varia illa eſculentorum genera enumeraret, quæ creaſti, & è terra adhuc hodie producis ad nos cibandos? Quis recenſeret varias illas herbarum ſpecies, quas quotannis e terra evocas ad nos ſanandos? Quis varia animantium genera ad uſum hominis condita, eidemque inſervientia omnia verbis complecti poſſet? Tibi laus & honor in æternum, qui es creator & conſervator rerum omnium. Absque

te vero Sole, ut umbra, evanescerem: absque te vera vita, ex vita protinus exciderem: absque te vera essentia, in nihilum repente inciderem. Tibi soli debetur meum esse, meum vivere, meum moveri. Tibi ergo soli vivam, & adhærebo in æternum, Amen.

CAP. III.

GRATIAS AGIT PRO REDEMTIONE PER CHRISTUM PRÆSTITA.

MAximas tibi, o æterne atque omnipotens Deus, gratias debeo, quod creasti me, cum nihil essem; longe vero majores, quod redemisti me, cum perditus ac damnatus essem. Hærebam in faucibus inferni, tu me *a* extraxisti per sanguinem Filii tui. Mancipium eram Satanæ: sed tua gratia me ex regno Diaboli liberavit, & in regnum Christi collocavit. Totum me tibi debeo, quia me totum formasti: *b* lingua mea perpetuo debet te lau-

(*a*) *Col.* 1, 14. (*b*) *Ps.* 51, 16.

laudare, quia eam dedisti mihi. Os meum semper debet annunciare laudem tuam: quia tuum trahit aerem & spiritum. Cor meum perpetuo amore tibi adhærere debet: quia tu illud formasti. Omnia membra ad tuum servitium debent esse prompta: quia quotquot & quanta sunt, ea omnia mirabiliter fabricasti. Quod si jam ante me totum tibi debeo, quia totum fecisti me, quid erit, quod pro redemtione ex servitute & captivitate mea tibi possim rependere? Oviculam *a* perditam ex unguibus infernalis lupi eruisti: servum fugitivum ex carcere Diaboli extraxisti: drachmam *b* perditam anxie quæsivisti. In Adamo lapsus sum, tu me erexisti: in Adamo captivatus sum peccati vinculis, tu me istis solvisti: In Adamo perditus sum, tu me iterum salvare voluisti. Quis ego vermiculus, ut pro me redimendo tam solicitus, atque in salutem meam tam

 pro-

(*a*) *Joh.* 10,28. (*b*) *Luc.* 15,8.

prodigiose largus esse volueris? Si primos homines, generis nostri parentes, post lapsum a te prorsus rejecisses, atque ipsos una cum omnibus posteris, a conspectu gloriæ tuæ remotos, in infimum usque infernum projecisses, nemo nostrum de injuria sibi facta jure conqueri potuisset. Recepissent enim illi recepissemus etiam nos digna factis nostris. Quid ultra a te vel flagitare, vel expectare poteramus, qui ad imaginem tuam nos creaveras, & sufficientibus ad innocentiam conservandam viribus instruxeras? Jam vero incomprehensibilem atque ineffabilem *a* charitatem tuam erga nos demonstras, quod Filium Redemtorem primis parentibus post lapsum promittis, eundemque in *b* plenitudine temporis nobis mittis, per quem ex morte in vitã, ex peccatis ad justitiam ex inferno ad cœlestem gloriam nos revocas. O hominum amator, cujus

(*a*) *Rom.* 5. 8. (*b*) *Gal.* 4. 4.

jus *a* deliciæ cum filiis hominum, quis hanc philanthropiam dignis efferre præconiis, imo quis eam mente ſatis digne complecti poteſt? Hæ ſunt incomprehenſibiles bonitatis tuæ divitiæ; hic eſt immenſus bonorum tuorum theſaurus, quem noſtra non capit tenuitas aut intelligentia. Adeone ſervus charus erat, ut Filius pro ipſius redemtione in mortem fuerit tradendus? Adeone inimicus erat diligendus, ut dilectiſſimum Filium ipſi Redemtorem conſtitueris? obſtupeſcit anima mea beneficii iſtius conſideratione, atque in tui amorem penitus abit & colliqueſcit, Amen.

(*a*) *Prov.* 3, 31.

CAP. IV.

GRATIAS AGIT PRO FILII INCARNATIONE.

GRatias tibi ago, JESU Chriſte, Mediator & Redemtor humani generis unice! quod in *a* plenitu-

 dine-

(*a*) *Gal.* 4, 4.

dine temporis veram humanam Naturam personaliter tibi univisti, & ex virgine dignatus es nasci. Quanta est φιλανθρωπία tua, quod *a* non Angelos, sed semen Abrahæ apprehendisti! Quantum est *b* pietatis mysterium, quod verus Deus existens, in carne manifestari voluisti! Quanta miserationis tuæ inclinatio, quod de cœlo propter me descendens nativitatem ex virgine sustinuisti! Propter me, vilissimam creaturam, omnipotentissime creator, homo factus es: propter me abjectissimum servum, gloriosissime Domine, servile *c* corpus induisti, ut carne carnem liberares. Mihi natus es: Quicquid igitur cœlestium bonorum in nativitate tecum affers meum erit. Mihi datus es: quomodo non una tecum etiam omnia? Natura mea in te magis est glorificata, quam in Adamo per peccatum erat dehonestata. Si-

qui-

(*a*) *Hebr.* 2, 16. (*b*) 1. *Tim.* 3, 16. (*c*) *Phil.* 2, 7.

quidem in personæ unitatem eam assumis, cum corruptione tantum accidentali a Satana fuerit labefactata: caro *a* es de carne mea, & os ex ossibus meis. Frater es, quid denegare mihi poteris, cui consubstantialitate carnis & amoris fraterni affectu es arctissime conjunctus? Sponsus *b* es, qui juxta cœlestis Patris εὐδοκίαν humanam Naturam veluti sponsam, personali fœdere tibi ipsi copulasti: ad gaudium istarum nuptiarum me quoque invitatum esse, grato animo prædico & agnosco. Non amplius miror, quod propter hominem cœlum, terra, mare & omnia, quæ in illis sunt, a Deo facta sunt: cum propter hominem DEUS ipse homo fieri voluerit. Prorsus non poteris me abjicere ac repudiare, cum teipsum hominem, & proinde fratrem meum esse *c* non possis negare. Prorsus non poteris mei oblivisci, quia in *d* manibus

(*a*) *Eph.* 5, 30. (*b*) *Matth.* 22, 2. (*c*) 2. *Tim.* 2, 13. (*d*) *Esa.* 49, 26.

nibus tuis me descripsisti. Ipsa enim carnis communio quotidianam ac perpetuam mei memoriam tibi injicit. Prorsus non poteris me derelinquere, cum arctissimo personalis unionis vinculo naturam humanam tibi volueris conjungere. Quamvis igitur peccata mea me prohibeant: tamen Naturæ communio non repellit. Adhærebo totus tibi, qui totus totum me assumsisti, Amen.

CAP. V.

GRATIAS AGIT PRO CHRISTI PASSIONE.

QUantas tibi debeo, o piissime JEsu, gratias, quod pœnas peccatorum meorum suscipiens, famem, sitim, frigus, defatigationes, obtrectationes, persecutiones, dolores, paupertatem, vincula, flagra, spinarum compunctionem, imo mortem crucis acerbissimam, sustinere voluisti! Quanta est amoris tui flamma, quæ te impulit, ut pro vilissimo & ingratissimo servo in mare illud passionum sponte temet-

ipsum

ipſum immergeres! Innocentia & juſtitia tua ab omnibus paſſionibus te reddebat liberum: ſed immenſa & ineffabilis tua charitas te noſtri loco debitorem conſtituit ac reum. Ego deliqueram, tu ſatisfacis. Ego *a* rapueram, tu exſolvis. Ego peccaveram, tu pateris. O benigniſſime Jeſu, agnoſco *b* viſcera miſericordiæ & ardorem charitatis tuæ: videris me diligere plus quam te, cum tradas teipſum pro me. Quid tibi innocentiſſimo cum ſententia mortis? quid tibi pulcherrimo inter filios hominum cum ſputis? quid tibi juſtiſſimo cum flagris & vinculis? Mihi hæc omnia debebantur: tu vero ex ineffabili charitate in carcerem hujus mundi deſcendis, habitum ſervilem meum induis, & pœnas mihi debitas, promtiſſime ſuſcipis. Adjudicandus eram propter peccata mea perpetuis uſtulantis inferni flammis; tu vero igne amoris in ara crucis excoctus ab illis

(*a*) *Pſ.* 69, 6. (*b*) *Luc.* 1, 78.

lis me liberum efficis. Abjiciendus eram propter peccata mea a facie cœlestis Patris: tu vero propter me à Patre cœlesti te derelictum esse conquereris. Torquendus eram in æternum à Diabolo, & ipsius Angelis: tu vero ex immensa charitate teipsum pro me affligendum & crucifigendum tradis Satanæ ministris. Quotquot passionis tuæ aspicio instrumenta, totidem quoque amoris erga me tui video indicia, siquidem peccata mea sunt vincula illa, flagra illa, spinæ illæ, quæ te afflixerunt, quæ omnia ex ineffabili charitate propter me sustinuisti. Nondum erat amori tuo satisfactum per carnis nostræ assumptionem, manifestius eundem comprobare voluisti per amarissimam illam animæ & corporis tui passionem. Quis ego sum, potentissime Domine, ut propter inobedientem servum tot annis servire volueris? Quis ego sum, pulcherrime Sponse, ut propter me, turpissimum peccati man-





Exhilarat facies TE Sponsæ tota coru-scans:
Ut pla-ceam pariter, Sol mihi, Christe, sies.

Wie solt ich nicht HERR CHRIST mein Licht
mich deine Braut ietzt nennen.
da du ja mich nun ewiglich
dafür wilst selbst erkennen.

mancipium ac Diaboli ſcortum, ne mori quidem recuſaveris? Quis ego ſum, benigniſſime Creator, ut propter me, viliſſimam creaturam, crucis patibulum non exhorrueris? Vere tibi, amantiſſime ſponſe, ſum ſponſa ſanguinum, propter quam tantam ſanguinis copiam profundis. Vere tibi, pulcherrimo lilio, ſum ſpina lædens & compungens. Impono tibi onus durum & aſperum, cujus pondere ita premeris, ut ſanguineæ largiter e corpore tuo promanent guttæ. Tibi, Domine Jeſu, Redemptor ac Mediator unice, propter hunc amorem tuum pſallam in ſeculum, Amen.

CAP. VI.

GRATIAS AGIT PRO VOCATIONE PER VERBUM.

TIbi, Domine Deus meus, debetur laus, honor & gratiarum actio, quod paternam illam *εὐδοκίαν* & conſilium de ſalute noſtra per verbi prædicationem nobis manifeſtare voluiſti,

ſti. Natura ſumus *a* tenebræ: ſedemus *b* in tenebris & in regione umbræ mortis: tu vero per clariſſimam Evangelii lucem, tenebras illas dispellis. In *c* lumine tuo videmus lumen: hoc eſt, in luce verbi, veram illam lucem, *d* quæ illuminat omnem hominem, venientem in hunc mundum. Quis uſus fuiſſet theſauri abſconditi & luminis *e* ſub modio occultati? Grato igitur animo prædico ingens illud beneficium, quod per verbum Evangelii revelaſti nobis theſaurum beneficiorum Filii tui. Quam ſpecioſi ſunt *f* pedes evangelizantium bona, prædicantium ſalutem! Hanc pacem conſcientiæ & ſalutem animæ, per Evangelii verbum, adhuc hodie nobis annuncias, & ad regnum Filii tui nos vocas. Abductus eram in errorum avia, ut miſera & infirma ovicula: tu vero per ver-

(*a*) *Eph.* 5, 8. (*b*) *Luc.* 1, 79. (*c*) *Pſ.* 36, 10. (*d*) *Joh.* 1, 9. (*e*) *Matth.* 5, 15. (*f*) *Eſ.* 52, 7. *Nahum.* 1, 15. *Rom.* 10, 15.

verbum in viam me revocaſti. Damnatus eram ac perditus: tu vero in verbo Evangelii offers mihi beneficia Chriſti; in beneficiis Chriſti tuam gratiam; in gratia tua remiſſionem peccatorum; in remiſſione peccatorum juſtitiam; in juſtitia vitam & ſalutem æternam. Quis viſcera iſta miſericordiæ tuæ verbis dignis poteſt prædicare? imo quis magnitudinem, & divitias bonitatis tuæ mente poteſt cogitare? myſterium ſalutis noſtræ, *a* æternis temporibus tacitum, patefacis nobis per Evangelii manifeſtationem: cogitationes *b* pacis, quas ante jacta mundi fundamenta de nobis habuiſti, revelas nobis per verbi prædicationem, quod eſt lucerna *c* pedibus noſtris ad æternam lucem, per hanc tenebricoſam vallem, contendentibus. Quid profuiſſet nobis naſci, niſi per Chriſtum nos per peccatum captivos liberaſſes? Quid

(*a*) *Rom.* 16, 25. (*b*) *Jer.* 29, 11. (*c*) *Pſ.* 119, 105.

redimi profuisset, nisi immensum istud redemtionis beneficium per verbum nobis annunciasses? Expandis *a* manus tuas ad nos tota die: januam *b* cordis nostri quotidie pulsas, & per verbum tuum nos omnes ad te vocas, benignissime Domine, quot hominum myriades in gentilismi cæcitate, & erroribus vivunt, quibus tanta verbi cœlestis lux nequaquam affulsit, quantam nobis, longe ingratissimis, bonitas tua concessit? Ah quoties contemtu & ingratitudine nostra meremur, ut *c* candelabrum verbi a nobis auferas: tu vero longanimis existens, *d* peccata nostra dissimulas, & sanctissimum illud verbi depositum, thesaurum pretiosissimum, ex ineffabili misericordia adhuc nobis conservas. Pro quo beneficio æternas tibi gratias agimus, & ut porro eum conserves, supplices petimus, Amen.

(*a*) *Es.* 65, 2. (*b*) *Apocal.* 3, 20. (*c*) *Apocal.* 2, 5. (*d*) *Sap.* 11, 24.

CAP. VII.

GRATIAS AGIT PRO EXPECTATIONE CONVERSIONIS.

ÆTernas, tibi, miſericordiſſime Pater, debeo gratias, quod converſionem meam tanta *a* μακροθυμίᾳ ac benignitate expectare voluiſti, & ex peccatorum ſemita me in conſortium regni tui adduxiſti. Quanta eſt longanimitas tua, quod me, millies illud promeritum, à facie tua abjicere, inque æternas pœnas detrudere diſtuliſti? Quot myriades hominum mors prævenit, antequam veram agerent pœnitentiam! Quot peccatores Diabolus obſtinatos reddidit, ne peccatorum ſuorum conſequerentur indulgentiam! Ab illis non ſegregavit me Naturæ qualitas: ſed ſola tua longanimis benignitas; non levior quædam mea culpa: ſed exuberans tua gratia. Certabat miſericordia tua cum mea miſeria. Per-

(*a*) *Rom.* 2, 4.

gebam ego delinquendo: tu pergebas miſerendo. Differebam ego converſionem: tu differebas juſtiſſimam animadverſionem. Aberrabam,& vocabas me: venire recuſabam, & expectabas me. Hanc bonitatem tuam,indulgentiſſime Pater, non poſſum dignis extollere præconiis. Hanc μακροθυμίαν tuam, benigniſſime Deus, non poſſum ullis rependere meritis. Cuſtodiviſti me ab innumeris peccatis, in quæ non minus quam alios præcipitare me potuiſſet carnis corruptio, mundi ſeductio, Diaboli perſuaſio: nec ſolum à peccatis multis me cuſtodiviſti, ne in illa inciderem: ſed & converſionem ab illis, in quæ incideram, benigniſſime expectaſti. Invenio te benigniorem, quam me culpabiliorem: peccabam ego, & tu diſſimulabas: non continebam ego à ſceleribus: & tu abſtinebas à verberibus:prolongabam multo tempore iniquitatem meam,& tu prolongabas pietatem tuam.

tuam. *a* Quæ tunc fuerunt merita mea? non nisi mala, imo pessima, peccata scil. numero plurima, pondere gravissima, varietate detestabilissima. Soli igitur gratiæ & bonitati tuæ acceptum refero, quod tanta longanimitate conversionem meam expectasti, & ex tot peccatorum laqueis animam meam extricasti. Tibi, Domine, sit laus, honor & gloria in seculum, Amen.

(*a*) *Bernh. ser.* 2. *de sept. panib. col.* 180.

CAP. IIX.

GRATIAS AGIT PRO CONVERSIONE.

GRatias tibi ago, Deus meus, quod cor meum *a* durum, ac pœnitere nescium, convertisti, quod cor meum lapideum abstulisti, & cor carneum mihi dedisti. Ex me ipso habui, unde in culpam caderem: sed ex me ipso non habui, unde ad pœniten-

(*a*) *Ezech.* 36, 26.

tentiam resurgerem. Aberrare per me potui: sed in viam redire non nisi per te potui. Quemadmodum is, *a* qui de ventre matris suæ nascitur incurvatus, naturalibus remediis non potest ad rectitudinem restitui, sed divina potentia illum oportet erigi: ita anima mea cum spirituali illa incurvatione ad peccatum, & res terrenas erat nata: nullis igitur humanis viribus, sed sola tua gratia potuit erigi, ut ad tuum amorem & cœlestium bonorum desiderium assurgeret. Potui me peccatis variis turpissime deformare: tu vero solus potuisti me reformare. Sicut *b* Æthiops non potest mutare pellem suam, & Pardus maculas suas: ita non potui benefacere malefactorum studio deditus. Tu DEUS meus, *c* convertisti me, & conversus sum: posteaquam per te conversus sum, egi pœnitentiam, & posteaquam ostensum est mihi, percussi femur meum.

Mor-

(*a*) *Granat. l. 2. Bit. Christ. cap.* 2.
(*b*) *Jer.* 13, 23. (*c*) *Jer.* 31, 8.

Mortuus eram in peccatis, & vivificasti me. Quantum potest mortuus conferre ad sui resuscitationem: tantum etiam conferre potui ad meam conversionem. Nisi *a* traxisses me, nunquam venissem ad te: nisi excitasses me, nunquam evigilassem ad te: nisi illuminasses me, nunquam vidissem te. Peccata erant mihi favo & melle dulciora: quod illa jam sint amara & acerba, tibi debeo, qui spiritualem gustum mihi donasti. Opera virtutis mihi erant felle atque aloe acerbiora: quod illa jam sint grata & dulcia, tibi soli debeo, qui corruptum carnis meæ judicium per spiritum immutasti. Errabam *b* sicut ovis, quæ periit, & ad viam iniquitatis declinabam: tu vero, bone Pastor, me requisivisti, & ad Sanctorum gregem reduxisti. Sero te cognovi lumen verum: *c* erat enim nubes magna & tenebrosa ante oculos

(*a*) *Joh.* 6, 44. (*b*) *Es.* 53, 6. (*c*) *Aug. medit.*

vanitatis meæ, quæ prohibebat, quo minus veritatis lumen viderem. Sero te cognovi lumen verum: quia cæcus eram, & cæcitatem amabam, & per tenebras peccatorum, ad tenebras inferni ambulabam: at tu illuminator meus, non quærentem te, quæsivisti, non vocantem te, vocasti; non conversum ad te, convertisti, & voce efficacissima dixisti: fiat lux in inferioribus cordis hujus, & facta est lux & vidi lucem tuam, & cognovi cæcitatem meam. Propter immensum illud beneficium prædicabo nomen tuum in seculum, Amen, Amen.

CAP. IX.

GRATIAS AGIT PRO PECCATORUM CONDONATIONE.

MAgnas tibi, æterne ac misericors Deus, debeo & ago gratias, quod me *a* venientem ad te, non ejecisti: sed promptissime suscepisti, ac

(*a*) *Job.* 6, 37.

ac omnia peccata mea misericordissime mihi remisisti. Ego, indulgentissime Pater, eram *a* prodigus ille Filius, qui paternam substantiam luxuriose vivendo dissipaverat. Siquidem dona Naturæ contaminavi; dona gratiæ repudiavi; donis gloriæ meipsum privavi. Egenus eram, & famelicus: tu me esurientem pane cœlestis gratiæ cibasti. Nudus eram, & omnibus bonis destitutus: tu me iterum justitiæ veste induisti ac ditasti. Perditus eram ac damnatus: tu vero æternam salutem ex gratia mihi donasti. Misericordia erga me accensus, me *b* amplexatus es, & osculatus, Filium charissimum, qui est in *c* sinu tuo; & Spiritum sanctum, qui est *d* osculum oris tui, maximos immensi amoris tui testes mittendo; induisti me stola prima, innocentiam primævam restituendo: dedisti annulum in manum meam

 Spi-

(*a*) *Luc.* 15, 13. (*b*) *Luc.* 15, 20. (*c*) *Joh.* 1, 18. (*d*) *Cant.* 1, 1.

Spiritu gratiæ me obsignando; calceos mihi induisti, Evangelio *a* pacis me armando: vitulum saginatum mei causa mactasti, Filium tuum charissimum in mortem pro me tradendo: epulari ac jucundari me fecisti, lætitiam cordis *b* & veram conscientiæ pacem mihi reddendo. Mortuus eram, & per te in vitam redii: aberraveram, & per te in viam redii; paupertate consumptus eram, & per te in possessionem pristinam redii. Tot peccatis pollutum, tot delictis coopertum, tot iniquitatibus corruptum, justissimo tuo judicio repudiare me poteras, sed misericordia tua *c* exuberavit super peccata mea: major fuit tua bonitas, quam omnis mea iniquitas. Quoties tibi januam cordis mei pulsanti eandem clausi! justissimo igitur judicio mihi fores gratiæ tuæ pulsanti easdem itidem claudere potuisses. Quoties aures meas ob-

(*a*) *Eph.* 6, 15. (*b*) *Ps.* 5, 14. (*c*) *Rom.* 5, 20.

obſtruxi, ne audirem vocem vocantis juſtiſſimo igitur judicio! aures tuas itidem obſtruere potuiſſes, ne audires vocem meam ad te ſuſpirantis. Sed abundantior fuit tua gratia, quam omnis mea transgreſſio & culpa. Expanſis *a* manibus me ſuſcipiens omnes iniquitates meas, velut *b* nube deleviſti, & omnia peccata mea *c* poſt tergum projeciſti. Delictorum meorum non amplius recordaris, ſed in ampliſſimum miſericordiæ tuæ ſinum me recipis. Pro immenſo hoc beneficio gratias tibi agam in æternum, Amen.

(*a*) *Eſ.* 65, 2. (*b*) *Mich.* 7, 19. (*c*) *Eſ.* 38, 17.

CAP. X.

GRATIAS AGIT PRO CUSTODIA IN BONO.

Tibi, Domine, *a* ſit honor, & gloria & benedictio, & gratiarum actio, quod non ſolum miſericorditer me

(*a*) *Apoc.* 7, 12.

me ſuſcepiſti pœnitentem: ſed etiam à peccatis continendi & emendatius vivendi præſtitiſti virtutem. Quid prodeſſet à morbo liberari, ſi ſtatim ſequeretur pejor recidiva? Quid prodeſſet à peccatis abſolvi, niſi daretur pie vivendi gratia? Tu fideliſſime Deüs, omnes fidelis & periti Medici partes in ſanandis animæ meæ vulneribus perfeciſti. Lethalia erant vulnera mea, tu vulneribus Filii tui, ea ſanaſti. Periculum erat, ne ſanata vulnera recrudeſcerent: tu Spiritus ſancti gratia, tanquam fomento quodam, illud prohibuiſti. Quam larga illorum ſeges, qui poſt impetratam peccatorum remiſſionem, ad priſtinum vivendi morem denuo redeunt, & delictis ſuis peſſime iteratis gravius Deum offendunt! Heu quot videmus à peccati jugo liberatos ad priſtinam captivitatem redire, & ex ſpirituali Ægypto eductos, ad ejusdem ollas reſpicere! Refugerunt *a* mundi inquinamenta per

(*a*) 2. *Pet.* 2, 20.

per Christi agnitionem: Sed iisdem rursus involvuntur per pristinam vitæ pessimæ conversationem: Liberati *a* erant ex vinculis Satanæ per conversionem: sed eisdem iterum irretiti hærent per spirituum nequiorum deceptionem. Posteriora *b* illorum certe pejora sunt prioribus: ac satius illis fuisset, non cognovisse viam justitiæ, quam eadem cognita, a sancti illius, quod ipsis traditum fuerat, præcepti converti tramite. Hi sunt canes *c* ad vomitum suum reversi, & sues post lotionem immersæ volutabro cœni. Idem mihi poterat contingere, nisi placuisset tibi per virtutis tuæ gratiam & Spiritus sancti efficaciam, in bono me conservare. Idem Spiritus nequam, qui illos expugnavit, me oppugnavit: idem mundus, qui illos seduxit, me illexit: eadem caro, quæ illos superavit, me inescavit. Sola tua gratia adversus illorũ impugnationem me protexit, & viribus ad victo-

(*a*) *Luc.* 11, 26. (*b*) 2. *Pet.* 2, 21. (*c*) *v.* 22.

ctoriam necessariis instruxit. Virtus tua *a* in mea infirmitate efficax fuit: à te descendit robur Spiritus, quo refrenare potui carnis impetus. Quicquid in me boni, illud à te, omnis boni fonte, descendit: cum in me per naturam nil nisi peccatum sit. Quotquot igitur in me invenio opera bona, quæ tamen, vitio carnis meæ, immunda sunt, & imperfecta, totidem agnoscere cogor, gratiæ tuæ munera. Pro hoc immenso tuo in me collato munere gratias tibi agam in seculum, Amen.

(*a*) 2. *Cor.* 12, 9.

CAP. XI.

GRATIAS AGIT PRO OMNIBUS ANIMI, CORPORIS ET FORTUNÆ BONIS.

ÆTernas tibi, æterne & misericors Deus, debeo gratias, quod non solum corpus & animam mihi dedisti: sed insuper variis animi, corporis & fortunæ donis me instruxisti. Tu, o sum-

ô ſumma ſapientia, *a* doces hominem omnem ſcientiam. Si quid igitur boni ſcio, id exuberantem tuam erga me demonſtrat gratiam. Absque tuo lumine, mens mea tenebroſa: absque tua gratia, voluntas mea captiva. Si quid eſt in me ingenii ac prudentiæ, id omne acceptum ferendum eſt tuæ clementiæ. Oculus animi eſt prudentia, oculus prudentiæ divina gratia. Quicquid ſcimus, id cognoſcimus vel ex lumine Naturæ, vel ex verbi revelatione. Atque à te, ô lux æternæ ſapientiæ, oritur Naturæ colluſtratio: à te etiam oritur verbi revelatio. Utique ergo, quicquid ſcimus, à tuo ad nos deſcendit munere. Tu, o indeficiens fons vitæ, *b* es vita mea & longitudo dierum meorum; tu, o æterna ſanitas, es corporis mei robur, & virtutis vigor. Non *c* ſolo pane vivit homo; ſed omni verbo, quod egreditur per-

os

(*a*) *Pſ.* 94, 10. (*b*) *Deut.* 30, 20. (*c*) *Deut.* 8, 3. *Matth.* 4, 4.

os tuum: ita quoque non ſolo pane in ſanitate & robore homo conſervatur, non ſola medicina â morbis præſervatur: ſed omni verbo, quod egreditur per os tuum. Tranquillitas mentis conſervat corporis ſanitatem, vera pietas parit conſcientiæ tranquillitatem. A te, o ſummum bonum, omnis vera pietas, inconcuſſa mentis tranquillitas, & exoptata corporis ſanitas. Quicquid exteriorum bonorum inſuper poſſideo, id omne tuæ benignitati debeo. Ne fruſtulum quidem panis meis debetur meritis: quanto minus hoc, quod tot ac tantis me cumulas exterioribus bonis? Vocantur quidem fortunæ bona: ſed revera ſunt gratiæ tuæ dona. Nihil beatius, quam aliis inſervire, & elargiri: hujus felicitatis me reddidiſti participem, largiorem exteriorum bonorum mihi conferendo ſegetem: ſparſiſti in me ſemen tuæ gratiæ, ut aliis inde exſurgat meſſis beneficentiæ. Plurima omni-

no

no dispensationi meæ commisisti bona, ut conservis benefaciendi daretur materia. A te, fonte omnis boni, descendunt in me bonorum rivuli. Quicquid sum, quicquid possideo, quicquid elargior, illud totum à benignitate tua dependere fateor. Pro hac immensa tua misericordia gratias tibi ago in seculum, Amen.

CAP. XII.

GRATIAS AGIT PRO SACRAMENTO BAPTISMI SIBI COLLATO.

TIbi, o æterne & misericors Deus, Pater, Fili, & Spiritus sancte, supplices ago gratias, quod sancto Baptismi lavacro ab omnibus peccatis me abluisti, in fœdus gratiæ recepisti & hæredem æternæ vitæ scripsisti. Tuum agnosco munus esse, quod ex Christianis parentibus natus, per eosdem ad cœlestem illum fontem sum delatus. Quot infantum myriades in ultimâ gentilitate na-

nascuntur, qui absque salutari hoc Sacramento in peccatis moriuntur? Ab illis non separavit me Natura: sed sola tua exuberans gratia. Conjunctus illis eram culpæ communione: sed ab iisdem sejunctus fui gratiæ tuæ participatione. Quanta hæc est bonitas tua, quod nondum te quærentem *a* invenisti, nondum petentem exaudivisti, nondum pulsanti aperuisti! Hæc misericordia tua exuperat omnem prædicationem; quinimo & omnem admirationem. Baptizatus sum *b* in nomine tuo sancto, invocatum super me nomen tuum: utique ergo in cœlestem familiam sum receptus filius cœlestis Patris, frater Christi, & templum Spiritus sancti factus. Sanctum hoc est & cœleste lavacrum; utique ergo in eo ab omnibus immunditiis meis ablutus sum ac purgatus. Lavacrum est *c* regenerationis & renovationis: utique

(*a*) *Matth.* 7, 7. (*b*) *Matth.* 28, 19. (*c*) *Tit.* 3, 5.

que ergo per illud Spiritus ſancti gratia regeneratus ſum ac renovatus. Quicquid ſanctiſſima ſua obedientia, & pretioſi ſanguinis ſui effuſione Chriſtus, Salvator meus, promeruit, id omne in ſalutarem Baptiſmi fontem veluti depoſuit. Baptiſmi igitur collatio, eſt ſanguinis Chriſti aſperſio. Pretioſus *a* ille Chriſti ſanguis ab omnibus peccatis me mundat, & ſuper *b* nives in conſpectu Dei me dealbat. Æternum, o æterne Deus, mecum iniiſti per Baptiſmum fœdus, ad quod per veram ac ſeriam pœnitentiam ſemper mihi patet reditus. Deſponſaſti *c* me tibi in æternum, in judicio & juſtitia, in gratia & miſericordia: dediſti mihi in Baptiſmo arrham *a* & pignus Spiritus: ergo non projicies me a facie tua: ſed promiſſionis tuæ memor, introduces me ad cœleſtium nuptiarum gaudia: Ut in Baptiſmo Chriſti, mediatoris & capi-

(*a*) 1. *Joh.* 1, 7. (*b*) *Pſ.* 51, 9. (*c*) *Oſe.* 2, 19. (*d*) *Eph.* 1, 14.

capitis mei *a* aperiebantur cœli: ita per ejusdem Baptiſmi communionem aperuiſti mihi januam Paradiſi. Ut in Baptiſmo Chriſti Spiritus ſanctus ſuper ipſum deſcendebat, & vox cœleſtis Patris dilectum hunc eſſe Filium aſſerebat: ita per ejuſdem Baptiſmi communionem Spiritus Sancti particeps ſum factus, & in Filium Dei adoptatus. Pro quo immenſo beneficio gratias tibi ago, Deus meus, in ſeculum, Amen.

(*a*) *Matth*. 3, 16.

CAP. XIII.

GRATIAS AGIT PRO SACRAMENTO COENÆ DOMINICÆ.

QVantas tibi, ſumme Deus, debeo gratias, quod in ſacratiſſimo Cœnæ myſterio Filii tui corpore & ſanguine me cibas? Quid in cœlo ac terra pretioſius ac præſtantius, quam divinum illud Filio tuo perſonaliter unitum corpus? Quodnam certius gra-


gratiæ tuæ teſtimonium ac pignus, quam pretioſus ille Filii tui ſanguis in ara crucis pro peccatis meis effuſus? Ipſum redemtionis meæ mihi donas pretium, ut firmiſſimum extet gratiæ tuæ erga me teſtimonium. Quoties ex Baptiſmi fœdere per peccata ſum prolapſus; toties per veram pœnitentiam & ſalutarem hujus cœnæ uſum ad illud mihi patet reditus. Novi Teſt. Sacramentum eſt, novis me ſemper beat charismatum muneribus. In hoc corpore ipſa vita habitat; inde ad æternam vitam me reficit ac vivificat. Per hujus ſanguinis effuſionem præſtita eſt pro peccatis noſtris ſatisfactio, inde ejus bibitione confirmatur mihi peccatorum remiſſio. Dicit Chriſtus, dicit veritas: Quisquis *a* manducaverit carnem meam, & biberit ſanguinem meum, habet vitam æternam, & ego reſuſcitabo eum in noviſſimo die, utique ad vitam, utique ad gloriam. Hic

(*a*) *Joh.* 6, 54.

Hic *a* enim eſt panis vitæ, qui de cœlo deſcendit, ut qui comederit ex eo, non moriatur, ſed vivat in æternum. Fidei manducatio eſt, quam Chriſtus commendat, quam ad ſacramenta- „ lem manducationem accedere o- „ mnino oportet, ut quod ad vitam „ inſtitutum eſt, ad vitam à nobis ac- „ cipiatur. Vera igitur fide ad cœle- „ ſte illud convivium accedo, firmisſime perſuaſus, illud corpus, quod manduco, eſſe pro me in mortem traditum: illum ſanguinem, quem bibo, eſſe pro peccatis meis effuſum, prorſus non poſſum dubitare de peccatorum remiſſione, cum confirmetur ipſius pretii, pro peccatis meis oblati, participatione. Prorſus non poſſum dubitare de CHRISTI inhabitatione, cum eandem mihi obſignet corporis & ſanguinis ſui communicatione. Prorſus non poſſum dubitare de Spiritus ſancti adjutorio, cum infirmitas mea tanto corroboretur

(*a*) *Joh.* 6, 50.




Gaudete quod nomina vestra sunt in coelis scripta
Freuet euch das eure Namen im Himmel geschrieben sind. Luc. 10.
Sum Solymae civis superae: quis nomina tollat
e tabulis, servat quae pia dextra DEI.
Es sind bey Dir, Herr meine
Die nah inen aufgeschriben,
Die dir Vertraut und nur gebaut
auf Jesum Ihr ...lieben.

tur præſidio. Non metuo a Satanæ inſidiis, cum Angelicus hic cibus ad pugnam me corroboret. Non metuo a carnis illecebris, cum vivificus & ſpiritualis hic cibus virtute Spiritus me confortet: Hæc ſumta & hauſta faciunt, ut Chriſtus in me habitet, & ego in CHRISTO. Non patietur bonus ille paſtor oviculam, ſuo corpore & ſanguine paſtam, ab infernali lupo devorari: nec permittet Spiritus robur ab infirmitate carnis meæ ſuperari. Tibi, o benigniſſime Salvator, ſit laus, honor & gratiarum actio in ſeculum, Amen.

CAP. XIV.

GRATIAS AGIT PRO CUSTODIA A VARIIS MALIS.

ÆTernas tibi, o æterne & miſericors DEus, ago gratias, quod ab innumeris malis ac periculis hactenus me cuſtodiviſti, & ſanctorum Angelorum patrocinio tutum præſtitiſti. Plures ſunt gratiæ tuæ privativæ,

quibus mala à me prohibes, quam positivæ, quibus bona mihi exhibes. Quotquot animæ ac corporis mala in aliis video, totidem misericordiæ erga me tuæ beneficia agnosco. Siquidem quod ab illis immunis sim, soli bonitati tuæ debeo. Quanta est Diaboli potentia, quanta ejusdem fraudulentia! Quoties igitur malignus ille Spiritus callidissimus, idemque potentissimus noster adversarius damna mihi conatus est inferre: toties benignitatis tuæ scuto, & Angelorum patrocinio tutus retia ista potui effugere. At quis Diaboli percensere poterit insidias? Ecquis igitur beneficiorum tuorum percensere poterit divitias? Quando per noctem somnum capio, oculus providentiæ tuæ super me vigilat, ne infernalis hostis, Leonis *a* rugientis instar circumiens, suis insidiis ac viribus me opprimat. Quando interdiu tentationibus suis Satanas me aggreditur,

(*a*) 1. *Pet.* 5, 8.

ditur, robur dextræ tuæ me benignissime confortat, ne fraudulentus ille tentator in casses suos me illiciat. Quando innumerus malorum cervicibus meis instat exercitus, *a* Angelorum tuorum castra sunt circa me murus *b* igneus. Nulla est creatura, vilissima licet sit & minima, à qua non immineant mihi varia periculorum genera. Quam magnum igitur ac immensum beneficium est, quod tua me ab illis tutum præstat custodia! Anima mea ad peccatum, corpus ad lapsus pronum. Animam igitur meam, benignissime Pater, regis per Spiritum tuum, corpus regis per Angelicum scutum: siquidem *c* mandasti Angelis tuis de me, ut in viis meis omnibus me custodiant, & manibus suis veluti ferant, ne forte ad lapidem pedes mei impingant. Misericordiæ tuæ acceptum fero, quod *d* non sim consumtus. Nova singulis

(*a*) *Ps.* 34, 8. (*b*) *Zach.* 2, 5. (*c*) *Ps.* 91, 11. 12. (*d*) *Thren.* 3, 22. 23.

gulis diebus me circumſtant pericula: nova igitur quolibet mane ſuper me miſericordia tua. Non dormitas, *a* nec dormis, o fidelis ac vigil cuſtos animæ & corporis. Gratia tua eſt dexteræ meæ umbra, ne *b* meridiani me percutiant apertæ & violentæ perſecutionis radii, neve nocturnæ occultarum inſidiarum obnoxius reddar caligini. Cuſtodis ingreſſum, dirigis progreſſum, gubernas exitum. Pro quo beneficio tibi, ac nomini tuo cantabo in æternum, Amen.

(*a*) *Pſ.* 121, 4. (*b*) *v.* 6.

CAP. XV.

GRATIAS AGIT PRO ÆTERNÆ SALUTIS PROMISSIONE.

GRatias tibi ago, mi Pater cœleſtis, quod non ſolum dediſti mihi gratuitam peccatorum remiſſionem, ac interiorem Spiritus renovationem, ſed etiam certam æternæ ſalutis promiſſionem. Quanta hæc eſt bonitas tua

tua, quod mihi indigno & peccatori, misericordiã tuam toties experto, donasti usq; ad cœlestia speranda præsumere, & de æternis supernæ domus palatiis inhabitandis spem minime dubiam concipere! *a* Æternæ illius & veræ vitæ bona tam magna sunt, ut non possint mensurari: tam copiosa, ut non possint numerari; tam longinqua, ut non possint terminari: tam pretiosa, ut nõ possint æstimari. *b* Quanta igitur tua bonitas ac erga me immeritum benignitas, quod bonorum istorum certa promissione in hoc vitæ ergastulo me beas! spe *c* salvũ me jam tum esse factum, Apostolus veritatis testatur; Spem *d* non confundere, evidenti ejusdem testimonio comprobatur. Eccur igitur navicula cordis mei, in quo Christus per fidem vehitur, cum procellis ac fluctibus dubitationum toties confli-

(*a*) *Bernh. serm. 2. de sept. panib. col.* 18. (*b*) *Bonav. lib. 7. Comp. cap.* 31. (*c*) *Rom.* 8, 24. (*d*) *Rom.* 5, 5.

ctatur? Promissionem salutis mihi dedisti, o Deus, *a* qui es Deus veritatis: quomodo adhuc dubitare possum, an hæc promissa tua sint verba immotæ & invariatæ certitudinis? Gratuita est illa vitæ promissio: proinde non pendebit ab operum meorum merito. De beneficiis tuis ex gratia promissis tam certus esse possum per fidem, quam certus sum de exhibitis per oculorum speciem. Corpore & sanguine Filii tui me cibas, Spiritus sancti interno testimonio me obsignas: quodnam certius testimonium vel pretiosius pignus esse potest, quo salutis promissionem mihi confirmatam reddas! Re ipsa experior, te esse *b* mecum in præsentis vitæ tribulatione: quomodo non ero tecum in æternæ vitæ beatissima consolatione? Si tanta mihi præstas in hujus mundi tugurio, quanto majora præstabis in cœlestis Paradisi palatio? quicquid sperandum promisisti, tam

(*a*) *Ps*, 31, 6. (*b*) *Ps*. 91, 15.

tam certum mihi est, quam omnia ea, quæ in hoc mundo utenda contulisti. Misericordia *a* & veritas tua roborata est, ac roborabitur super me in seculum. Misericordia tua prævenit me, eadem etiam *b* subsequetur me. Prævenit in justificatione: subsequetur in glorificatione; prævenit, ut pie viverem: subsequetur, ut tecum semper vivere possim. Ergo misericordiam illam & veritatem tuam prædicabo in seculum, Amen.

(*a*) *Ps.* 117, 2. (*b*) 33, 6.

PARS TERTIA.

DE MEDITATIONE NOSTRÆ INDIGENTIÆ.

MEditatio indigentiæ nostræ nos ex nobis nihil spiritualium bonorum habere ostendit; ideoque omnem propriarum virium fiduciam abjiciendam, & ad solum misericordiæ divinæ auxilium, propter Christum promissum, confugiendum esse docet.

docet. Hac multiplicis indigentiæ nostræ consideratione erigitur cor nostrum ad Deum, ab eo petit veteris hominis mortificationem, ac novi renovationem, omnibus renatis quotidie necessariam. Renovatio illa consistit in fidei, spei, charitatis, humilitatis, patientiæ, mansuetudinis, castitatis & reliquarũ virtutũ conservatione ac incremento: quod seriis precibus a Deo expetendum. Præterea, cum quotidie a carne, mundo & Satana oppugnemur, ita quidem, ut caro nostra ad terrenorũ amorem nos solicitet, mundus suis odiis, & Satanas suis insidiis nos oppugnet, ideo pro contemtu terrenorum, pro abnegatione nostri, pro victoria mundi, pro consolatione in omnibus adversis, pro vera quiete animæ, pro victoria in tentationibus, & custodia ab insidiis Diabolicis quotidie Domino exercituum, summo illi agonothetæ nostro supplicandum. Denique cum in hora mortis & judicii auxilium DEi cumprimis nobis sit necessa-

cessarium, ideo pro beato vitæ exitu, & beata ad vitam resurrectione singulis diebus humiliter precandum.

CAP. I.

PRO MORTIFICATIONE VETERIS HOMINIS ORAT.

SAncte ac misericors DEUS, Pater Domini nostri JESU Christi, te per eundem Filium tuum in Spiritu sancto supplex oro, ut mortificationem veteris hominis, quotidie mihi necessariam, efficaciter in me velis operari, ut secundum interiorem hominem in te possim confortari. Habitat *a* in carne mea peccatum, da mihi robur Spiritus, ne concedam *b* illi in me dominium. Absondita mea peccata *c* collocas in lumine vultus tui, eadem, quæso, colloces in lumine cordis mei: ut ea videam & doleam, eorumque condonationem

 humi-

(*a*) *Rom.* 7, 18. (*b*) *Rom.* 6. 12. (*c*) *Ps.* 90, 9.

humiliter quæram. Nondum penitus liber ſum à peccati inhabitatione: concede, quæſo, propitius, ut liber ſim a peccati reatu & condemnatione. Lex *a* peccati in membris meis repugnat legi mentis meæ renovatæ: da mihi Spiritus tui gratiam, ut legem peccati captivem, ne à carnis captiver vetuſtate. Caro in me *b* concupiſcit adverſus Spiritum; Spiritus adverſus carnem: Spiritus *c* quidem promptus, ſed caro infirma: Spiritui igitur meo virtutis ac roboris tui concede divitias, ut ſuperare queat oppugnantis carnis pravas concupiſcentias. Meretricia *d* illa Delila blanditiis ſuis quotidie me oppugnat: corrobora me per Spiritum tuum *e* in interiore homine, ne vires ejus tandem frangat. O quam grave & durum eſt adverſus ſeipſum, hoc eſt, adverſus carnem pugnare! Quam difficile atque arduum

(*a*) *Rom.* 7, 23. (*b*) *Gal.* 5, 17. (*c*) *Matth.* 26, 41. (*d*) *Jud.* 16, 6. (*e*) *Epheſ.* 3, 16.

duum eſt domeſticum hoſtem expugnare? niſi in hoc duello cœleſti virtute me induas, metuendum erit, ne ſuccumbere cogar propter abſconditas hujus hoſtis inſidias. Preme, ure, ſeca, mortifica veterem hominem, ut effugere poſſim blandam ipſius fraudem ac ſeductionem. Da, ut quotidie in me moriar, ne blanditiis carnis a vera vita, quæ in Chriſto eſt, abſtrahar. Accende in corde meo Spiritus ignem, ut in ſacrificium tibi offeram dilectum animæ filium, concupiſcentias pravas, & propriam voluntatem. Caro & ſanguis *a* regni Dei hæreditatem accipere non poſſunt. Moriantur igitur in me, ne excludar a regno cœleſti. Qui ſecundum carnem vivunt, *b* morientur! Qui Spiritu actiones carnis mortificant, vivent. Qui Chriſti ſunt, *c* carnem cum ſuis concupiſcentiis crucifigunt. Carnem igitur meam

(*a*) 1. *Corinth.* 15, 50. (*b*) *Rom.* 8, 13. (*c*) *Gal.* 5, 24.

meam confige & crucifige o Chriſte, in ara crucis pro me confixe & crucifixe, Amen.

CAP. II.

PRO CONSERVATIONE ET INCREMENTO FIDEI ORAT.

ACcendiſti in corde meo, vive & æterne DEus, veræ & ſalvivificæ fidei lucem, illam ut clementer conſervare & augere velis, ſuppliciter precor tuam bonitatem. Fidei infirmitatem quandoque ſentio, dubitationum procellis ſæpe fluctuo, ideo, ut fidem mihi adaugere digneris, *a* cum Apoſtolis humiliter clamo. Cor *b* meum proponit tibi verbum tuum: Calamum *c* contritum non confringes, & linum fumigans non extingues. Theſaurum *d* meum in vaſe fictili porto, faculam fidei in vaſe fragili abſconditam geſto, quid aliud reſtat, quam

(*a*) *Luc.* 17, 5. (*b*) *Pſ.* 27, 8. (*c*) *Eſ.* 42, 3. (*d*) 2. *Cor.* 4, 7.



Paciferæ resonet vox ter mihi grata columbæ,
Sublata hic penitus nam gravis ira DEI est.

Ich will mich hinkehren, die dorteltaub hören, so lieblich erklingt:
Der Winter vergehet, des Zorns flut stehet, ein öhlblat die bringt.



quam ut ſeriis precibus & gemitibus ejus cuſtodiam tibi commendem, & pro incremento eiusdem quotidie ſupplicem? In hujus vitæ ac mundi tenebris fac me participem cœleſtis fidei luci. Verbum tuum lux & vita: concede mihi propitius, ut vera fide verbo adhæream, ac lucis & vitæ filius per te fiam. Contra omnes Satanæ tentationes, contra omnes mundi oblocutiones, imo, contra proprii cordis cogitationes prævaleant in me verbi tui conſolationes. Unicum Scripturæ verbum cœlo ac terra eſt dignius, cum ſit cœlo *a* ac terra firmius. Effice in me per Spiritum tuum ſanctum, ut verbo tuo firmiter credam, & ſenſus *b* ac rationem ſub fidei obſequium redigam. Promisſiones tuæ ſunt gratuitæ, nec pendent à dignitatis & meritorum meorum conditione: Certiſſima igitur fide in illas potero recumbere, & ex toto corde bonitati tuæ confidere. Per fidem

(*a*) *Luc.* 21, 33. (*b*) 2. *Cor.* 10, 5.

dem *a* Christus in corde meo habitat & *b* vivit. Conserva igitur in me gratuitum fidei donum, ut cor meum sit & maneat perpetuum Christi habitaculum. Fides est omnium bonorum operum semen, & sanctæ vitæ fundamentum. Hanc igitur, benignissime Pater, in me conserva & confirma: ne spiritualis mea messis ac Domus patiatur detrimentum. Corrobora fidem meam, ut *c* mundum & Principem mundi vincat: auge illius lucem, ut *d* splendidiores radios indies exterius spargat: conserva eam in mediis mortis tenebris, ut ad veram vitam mihi præluceat. Rege me Spiritu tuo sancto, ne concupiscentiis carnis consentiendo & peccatis contra conscientiam indulgendo dem amittam: sed quod in me cœpisti opus bonum, confirma, ut perseveranti fide æternæ vitæ hæreditatem acquiram, Amen.

(*a*) *Ephes.* 3, 16. (*b*) *Galat.* 2, 20. (*c*) 1. *Joh.* 5, 4. (*d*) *Matth.* 5, 16.

CAP.

CAP. III.

PRO CONSERVATIONE ET INCREMENTO SPEI PRECATUR.

OMnipotens, æterne, ac miſericors Deus, oro te per ſanctiſſima vulnera Filii tui, conſerva in me fulcimentum, vivificæ ſpei: Fluctuat quandoque cor meum veluti navis in medio mari, concede mihi *a* anchoram tutam ac firmam immotæ ſpei. Compeſce fluctus tentationis ac dubitationis, qui es DEUS *b* ſpei & omnis conſolationis. Quam certa ac immobilis promiſſionum tuarum veritas, tam certa in me eſſe poterit ſanctæ ſpei firmitas. Promisſis tuis nitor, non deſtitues me auxilio; benignitati *c* tuæ confido, non deſtitues me ſolatio: Scio, cui credidi, & certus ſum, quia potens es ſervare depoſitum meum in diem illum:

(*a*) *Hebr.* 6, 19. (*b*) *Rom.* 15, 3. (*c*) 2. *Tim.* 1, 2.

Certissime *a* persuasus sum, quod qui cœpisti in me opus, id ipsum etiam perficies usque in diem Jesu Christi. Tria *b* sunt, quæ me prostratum erigunt, trepidantem fulciunt, fluctuantem dirigunt. Videlicet charitas adoptionis, veritas promissionis, potestas redditionis. Hic est funiculus triplex, quem mihi, e cœlesti patria, in hunc carcerem demittis, ut me sublevest, ac in conspectum gloriæ tuæ trahas: hæc spes meæ salutis anchora, hæc ad Paradisum ducens semita. Meditatio tuæ jussionis facit, ut sperem: meditatio tuæ promissionis facit, ut tranquilletur cor meum, si sperem: meditatio tuæ bonitatis prohibet, ne de tuis miserationibus desperem: meditatio propriæ meæ fragilitatis facit, ne in me vel in meis viribus ac meritis sperem. Quanto minus spes mea in fragilibus ac fluidis præsentium bonorum & humani auxilii

(*a*) *Phil.* 1, 6. (*b*) *Bernh. serm.* 5. *de frag. sept. panum col.* 183.

xilii arenulis figitur, tanto ſolidius ac certius ſupra immotam ac firmam promiſſionum tuarum & cœleſtium bonorum petram ſtabilitur. Uni cor meum tibi, ut penitus à mundo me abſtraham, & ex toto corde tibi adhæream! Ad te confugio, tanquam *a* ad thronum gratiæ & aram miſericordiæ, ad arcam fœderis & aſylum libertatis, ad petram *b* roboris & portum ſalutis. In me nil niſi peccatum, mors, condemnatio; in te nil niſi juſtitia, vita, ſalus, conſolatio. Deſpero igitur in me, ſed ſpero in te: in me collidor, in te erigor. Multiplicentur ſane tribulationes, adſint modo ac ſperantem erigant vivificæ tuæ conſolationes. Tribulationes pariunt patientiam, patientia probationem, probatio ſpem, ſpes *c* non confundit, in te, *d* Domine, ſperavi, non confundar in æternum, Amen.

(*a*) *Hebr.* 4, 16. (*b*) *Pſ.* 18, 2. (*c*) *Rom.* 5, 4. 5. (*d*) *Pſ.* 31, 2.

CAP. IV.

PRO CONSERVATIONE ET INCREMENTO CHARITATIS ORAT.

ÆTerne ac misericors Deus, qui es *a* ipsa charitas, concede mihi veræ ac sinceræ dilectionis spiritualis divitias. Cor meum frigidum est ac terreum, o ignis, o chatitas! accende me. Cor meum durum est ac lapideum, o petra, o charitas! emolli me. Cor meum spinis irarum ac sentibus odiorum est repletum, o benignissime Pater, o charitas! expurga me, diligam te, Deus *b* fortitudo mea, Petra mea, & arx mea, liberator meus, Deus meus, scutum meum & *c* cornu salutis meæ. Quicquid in creaturis bonum ac præstans video, id omne in te, qui es summum bonum, abundantius & excellentius invenio: te igitur toto corde super omnia diligam, in quo tantam agnosco bonorum ubertatem & præstantiam.


Tan-

(*a*) *Joh.* 4,16. (*b*) *Ps.* 18,2. (*c*) *b*.3.

Tanto mihi melius, quanto magis in te ivero, quo nihil melius. Ire autem potero, non ambulando pedibus corporis, ſed amando deſiderio cordis. Si pulchritudinem deſidero, tu es omnium pulcherrimus; ſi ſapientiam, tu omnium ſapientiſſimus; ſi divitias, tu omnium ditisſimus; ſi potentiam diligo, tu omnium potentiſſimus; ſi fortitudinem, tu omnium fortiſſimus; ſi honorem, tu omnium glorioſiſſimus. Dilexiſti me ab æterno: diligam te viciſſim in æternum. Dilexiſti me teipſum mihi dando: diligam te me totum per amorem vicisſim tibi reddendo. Cor meum inardeſcat, omnis creatura vileſcat, tu ſolus animæ meæ dulceſcas. Naturam humanam Filio tuo inſeparabili fœdere uniri voluiſti: quanto magis convenit, cor meum inſeparabili amoris vinculo tibi copulari. Amor divinus Filium tuum e cœlo ad terras traxit, columnæ ad flagellationem alligavit, & cruci ad mortem affixit:

annon tam fervida amoris flamma cor meum e terris ad cœlum elevaret, ac tibi, summo bono, indivulse alligaret? Magna & te & me injuria afficerem, si terrena, vilia ac modica diligerem, quem tantæ dignitatis fecisti, ac tam large promissa mihi dedisti, ut te amare mihi liceat. Ex hoc amore tui nascitur etiam in corde meo sincerus amor proximi. Quicunque te, o summum bonum, diligit, *a* etiam mandata tua custodit: cum probatio dilectionis sit operis exhibitio: quare cum proximum diligere præceperis, ideo nemo te sincere diligit, *b* qui dilectionis debitum proximo non impendit. Quisquis sane proximus sit, tam charum eum habuisti, ut eum mirabiliter creares, misericorditer liberares, & ad consortium regni tui benignissime vocares. In te igitur ac propter te proximum amare debeo, quem a bonitate tua ad tantæ gloriæ decus elevatum

(*a*) *Joh.* 14, 15. (*b*) 1. *Joh.* 4, 20.





Sanguis me purgat Christi, hic purissima lympha est:
Albā quō radiem fac quoq; jam tunicā.

Wiewohl es mich schmertzet, das Adam verschertzet das Göttliche bild.
Doch JESUS mich ziehret, indem Er mich führet zur Tauffe mein schild.

vatum conſpicio. Hanc veram & ſinceram dilectionem in me robores & augeas, qui es æterna & invariabilis charitas, Amen.

CAP. V.

PRO CONSERVATIONE ET INCREMENTO HUMILITATIS PRECATUR.

OMnipotens & miſericors DEUS, qui omnis ſuperbiæ oſor es acerrimus, concede mihi, ut ſim roſa charitatis, & viola humilitatis: ut bonum fragantiæ odorem, per opera charitatis, ſpargam, & humiliter in corde meo de me ſentiam. Quid ego coram te, Domine? Pulvis, cinis, umbra, nihil. Quare cum nihilum ſim in conſpectu tuo, concede, ut nihil me æſtimem in conſpectu meo. Deprime conatuum cordis mei tumorem: ut ſuſcipiam cœleſtis gratiæ rorem. Neque enim ſurſum aſcendunt fluenta gratiæ tuæ in elatos

montes: ſed deorſum feruntur in depreſſas humilis cordis convalles. Nihil quicquam meum, præter infirmitates & iniquitates. Quicquid in me boni, ex fonte bonitatis tuæ ad me deſcendit: proinde mihi nihil quicquam bonorum arrogare poſſum, cum nihil ſit proprie meum. Quanto de te ſentio ſublimius, tanto de me ſentire cogor indignius. Abſit a me, abſit quam longiſſime, ut de bonis tuis, benigniſſime Domine, velim ſuperbire, & alios propterea deſpicere. Theſauros bonorum tuorum in arculam cordis mei depoſuiſti, quos & quantos voluiſti: abſit a me, ut illos mihimetipſi adſcribam, vel meæ dignitati attribuam. Accendiſti in corde meo per Spiritum tuum ignem pietatis & charitatis, concede, quæſo, ut illum obtegere poſſim per cinerem humilitatis. Quantula eſt illa gloria, quæ homini ab homine datur? Quantula laus, qua homo ab homine decoratur? Qui tibi, o

Crea-

Creator maxime, magnus eſt, is vere magnus; qui tibi placet, is vero rerum æſtimatori placet. Nemo autem tibi placet, niſi qui ſibi diſplicet. Tu es vitæ meæ vita: tu animæ meæ anima. Ergo vitam & animam meam in manus tuas reſigno, & humili corde tibi totus adhæreo. Excelſum tuum *a* reſpiciat meam humilitatem, altiſſimum tuum reſpiciat vilitatem. Ah! cur tantopere deſidero extolli in mundo, cum in illo nihil ſit mundum? Cur tantopere me effero, cum me graviter premat peccati jugum? Configat cor meum ſtimulus ſancti timoris, ne fortaſſis occupetur periculoſiſſimo morbo ſpiritualis tumoris. Sint perpetuo in conſpectu meo innumera peccata mea; in oblivione vero qualiacunque mea bona opera. Plus contriſtet me peccatorum meorum memoria, quam immundi & imperfecti alicujus, quod feci, operis boni gloria. In te ſolo lætor &

(*a*) *Pſ.* 113, 7.

glorior, qui es gaudium & gloria mea in æternum, Amen.

CAP. VI.

PRO DONO ET INCREMENTO PATIENTIÆ PRECATUR.

OMnipotens, æterne ac misericors Deus, supplicibus gemitibus imploro tuam gratiam, ut concedas mihi veram ac sinceram patientiam. Caro mea semper expetit sibi grata, hoc est, mollia & carnalia: renuit autem patienter sufferre adversa. Hunc carnis affectum in me potenter, quæso, deprimas, ac patientiæ robore infirmitatem meam suffulcias. O Christe JESU, doctor patientiæ & obedientiæ, Spiritu sancto interius me instrue, ut *a* discam a te voluntatem propriam abnegare *b*, & impositam crucem patienter portare! Graviora pro me passus es, quam imponis: durio-

(*a*) *Matth*, 11, 29. (*b*) *Matth*. 16,24.

duriora ſupplicia ſum promeritus, quam infligis. Coronam ſpineam ac crucis pondus geſtaſti, ſanguinem ſudaſti, & *a* torcular iræ propter me calcaſti, cur igitur tantillum paſſionis atque afflictionis patienter ſuſcipere recuſarem? cur triſti imagini tuæ hac vita conformari detrectarem? De *b* torrente paſſionum in vita bibiſti, cur ex calice crucis hauſtulum exiguum renuerem? æternas pœnas peccatis meis ſum promeritus: cur paternam caſtigationem in hoc mundo non ſufferrem? Quos ab æterno ante jacta mundi fundamenta *c* præſciviſti, eos etiam imagini Filii tui in tempore hujus vitæ conformari decreviſti: ergo, ſi hanc conformationem per crucem patienter non ferrem, ſanctum & æternum tuum de ſalute mea conſilium deſpicerem: quod procul a me, ſervo tuo indigniſſimo, abeſſe jube. Probationis

eſt,

(*a*) *Eſa.* 63, 3. (*b*) *Pſal.* 110, 7.
(*c*) *Rom.* 8, 29.

eſt, non reprobationis, quod variis calamitatibus me exerces: quantum imponis crucis & tribulationis, tantum etiam confers lucis & conſolationis: nec tam caſtigatio, quam remuneratio augetur. Non *a* ſunt condignæ paſſiones hujus vitæ ad cœleſtem illam conſolationem, quam in hac vita ſimul immittis, & ad cœleſtem illam gloriam, quam in futura promittis. Scio, *b* te mecum eſſe in tribulatione, cur igitur non lætarer potius de tuæ gratiæ præſentia, quam triſtarer de crucis mihi impoſita ſarcina? Duc me, quamcunq; velis per viam, Magiſter ac Doctor optime, per ſpinas ac vepres ſequar te, tantum ut ſequi poſſim, trahe ac ſuſtenta me. Submitto caput meum, ut imponas coronam ſpineam, certiſſime perſuaſus, fore, ut olim imponas coronam gloriæ æternæ, Amen.

(*a*) *Rom.* 8, 18. (*b*) *Pſ.* 91, 15.

CAP.

CAP. VII.
PRO DONO ET AUGMENTO MANSUETUDINIS PRECATUR.

O Benignissime Domine, qui *a* φιλανθρώπως nos ad pœnitentiam invitas, & μακροθύμως nostram conversionem expectas, da mihi longanimitatis ac mansuetudinis divitias. Fervet in corde meo iracundiæ incendium, quoties exiguum a proximo oritur nocumentum. Supplex igitur precor, ut per Spiritum tuum mortifices hunc carnis meæ affectum. Quam dura verba, duriora verbera ac durissima supplicia dilectus tuus Filius propter me pertulit, nec *b* cum maledictis incesseretur, maledicta vicissim retulit, sed juste judicanti omnia tradidit. Quæ igitur hæc est superbia, quæ contumacia, quod ego miser ac mortalis, *c* terræ pulvis & cinis, ne quidem verbulum paulo durius possim

(*a*) *Rom.* 2, 4. (*b*) 1. *Pet.* 1, 23. (*c*) *Gen.* 18, 27.

ſim ſufferre & proximo offenſionem manſueto corde vincere! Diſcite, *a* diſcite a me, quod mitis ſim & humilis corde, exclamas, optime Chriſte: ſupplicibus te imploro gemitibus; ſuſcipe me in practicam illam Spiritus ſcholam, ut veram manſuetudinem in ea diſcam. Quam gravibus & variis peccatis te, benigniſſimum Patrem, offendo, quorum quotidiana remiſſione indigeo. Cur igitur *b* homo cum ſim, adverſus hominem iram velim conſervare: & a te, cœli terræque Domino, veniam auſim poſtulare? Nonne abſurdum foret erga hominem, mei ſimilem, nullam me capere miſericordiam, *c* & peccatorum meorum abs te, Domine, petere indulgentiam? Niſi proximo nævos ipſius remiſero *d*, nec meorum peccatorum remiſſionem ſperare potero. Ergo, o benigniſſime Domine, multæ miſerationis & longanimi-

mi-

(*a*) *Matth.* 11, 29. (*b*) *Eccleſ.* 28, 3. (*c*) *b.* 4. (*d*) *Matth.* 18. 35.

mitatis, da mihi Spiritum patientiæ ac manſuetudinis, ne propter offenſas proximi iram ſtatim ſuſcipiam, ſed eam, tanquam animæ hoſtem fugiam, vel certe incautius ſuſceptam citiſſime deponam. Solis *a* ſplendor ſuper iram meam non occidat, ne furoris mei teſtis abſcedat. Iratum ſomnus non opprimat, ne morti, ſorori ſuæ, iratum me tradat. Si de hoſte vindictam ſumere cupio, cur non ad iram meam me converto, quæ certe eſt hoſtis maximus & nocentiſſimus, cum animam occidat, & æternæ morti me obnoxiũ reddat Da etiam ori meo cuſtodiam & in regendis vitæ actionibus prudentiam, ne verbis vel factis proximum offendam? Da, ut proximo ſim per virtutum fragrantiam roſa redolens, non autem per offenſiones & detractiones ſpina pungens! Da, bone JEſu, ut veſtigiis manſuetudinis tuæ inſiſtam, & ſincero corde proximum diligam, amen.

(*a*) *Eph.* 4, 26.

CAP.

CAP. VIII.

PRO DONO ET INCREMENTO CASTITATIS ORAT.

SAncte DEUS, qui es pudicitiæ & castitatis amator, spurcitiei vero ac libidinis acerrimus osor, per Christum, castissimum animæ meæ Sponsum, te precor, ut veram castitatem, interiorem & exteriorem, animæ & corporis, Spiritus & carnis in me operaris & augeas: contra vero pravæ concupiscentiæ ignem in corde meo extinguas. Configat sanctus timor tuus carnem meam, ne ruat in libidinis proterviam. Cœlestis charitas animam meam ad te evehat, ne terrenis fœtoribus inordinato amore adhærescat. Effunde super me fluenta divinæ gratiæ, ut extinguantur in illis flammæ concupiscentiæ, veluti in aqua extinguntur sagittæ igneæ. Anima mea ad imaginem tuam creata est, & per Christum reparata: tibi

Crea-

Creatori ac Redemtori, quin & mihi ipsi injuriam maximam inferrem, si splendidam animæ faciem fuligine & maculis inhonesti amoris denigrarem. Habitat *a* in corde meo Christus, habitat *b* in corde meo Spiritus sanctus, is gratiæ suæ robore, ac charismatum suorum munere me impleat, ut *c* sanctus sim spiritu, sanctus etiam corpore. Absque *d* sanctimonia nemo videbit te, lumen purissimum. Quam ergo desiderabilis & amabilis beatifica tui visio, tam detestabilis ac odiosa mihi sit castitatis deperditio ac labefactatio. Contristatur *e* Spiritus sanctus spurci sermonis scintillis: quanto magis libidinum incendiis? Appetitus *f* libidinis plenus est anxietatis & vecordiæ; actus abominationis & ignominiæ; exitus pœnitudinis & verecun-

(*a*) *Ephes.* 3, 17. (*b*) 1. *Corinth.* 3, 16. (*c*) 1. *Corinth.* 7, 34. (*d*) *Hebr.* 13, 14. (*e*) *Ephes.* 4, 30. (*f*) *Bernh. de conBers.* c. 12.

cundiæ: ardor ejus ascendit usque in cœlum, sed fœtor descendit usque ad infernum. Cur igitur turpissimo huic hosti velim ostium animi pandere, eundemque in penetrale cordis recipere? Sancte ac fortis DEus, exercituum Domine, da mihi robur Spiritus, ut vincere possim hostem illum, qui pugnat in me contra me: da, ut abstineam non solum ab illicitis complexibus & exterioribus turpitudinis actibus, sed etiam liber sim ab interioribus istorum desideriis ac flammis: cum non solum corpus purum, sed etiam cor mundum a nobis requiras, & tam interiora, quam exteriora sanctissimis oculis tuis respicias. Crucifige carnem meam & concupiscentiam ejus, o Christe, pro me crucifixe,

Amen.

CAP.

CAP. IX.

PRO CONTEMTU TERRENORUM PRECATUR.

SAncte DEus, Pater cœleſtis, invoco te per dilectum Filium tuum, ut per Spiritum ſanctum cor meum a terrenis abſtrahas, & ad cœleſtia deſideranda evehas. Quemadmodum ignis per Naturam ſurſum evolat, ita ſpiritualis ignis charitatis & devotionis in corde meo accenſus ad cœleſtia tendat. Quæ & qualia ſunt terrena iſta omnia? vitro fragiliora, Euripo mobiliora, vento fugaciora. Stolidus igitur forem, ſi corde meo illis adhærerem, & veram animæ quietem in illis quærerem. In morte terrena omnia tandem, vel invito, ſunt deſerenda: effice in me, quæſo, ut cordis affectu voluntario ea prius deſeram. Mortifica in me amorem mundi, ut creſcat ſanctus amor tui. Cuſtodi me per Spiritus Sancti auxilium, ne diligam hunc mundum, ne

cor

cor meum ex eo fiat immundum. Transit *a* hujus mundi figura, transit momentanea ejusdem gloria, in propinquo est cœli & terræ ruina. Flecte igitur cor meum, ut sim amator vitæ in perpetuum permanentis, non autem mundi hujus citissime fugientis. Quicquid *b* in hoc mundo est, concupiscentia carnis est. Concupiscentia carnis est concupiscentia oculorum & superbia vitæ. At quam vanum est, concupiscentiam carnis diligere, quam periculosum, concupiscentiis oculorum indulgere, quam noxium, superbiam vitæ eligere? Non potest vere ab eo diligi Christus, cœlestis vitæ panis, qui plenus est terrenis *c* porcorum siliquis. Non potest libere ad DEum evehi, cujus cor captivatum est amore hujus mundi. Non est quo intret amor Dei, ubi vasculum cordis repletum est amore seculi. Extingue igitur, o DEUS, amor meus, in me terrenorum appetitum, tolle amo-

(*a*) 1. *Cor.* 7, 31. (*b*) 1. *Joh.* 2, 16. (*c*) *Luc.* 15, 16

amoris mundani vinculum: effunde & expurga cordis mei vaſculum, ut ſincero amore te diligam, & perfecto corde tibi adhæream. Ah! cur veſim diligere *a* ea, quæ ſunt in mundo, cum deſiderium animæ meæ, ad æternitatem creatæ, non expleant, nec ullum omnino amorem mihi rependant? illum anima mea amabit, cum quo in æternum habitabit: illuc præmittam cordis mei deſideria, ubi æterna mihi parata eſt gloria. Ubi *b* theſaurus meus, ibi etiam erit cor meum. Da mihi *c* pennas columbæ, ut in ſublime ad te evehar, & in foraminibus petræ abſcondar, ne laqueis mundani amoris venator infernalis me capiat, meamque animam ad terrena iterum trahat. Totus mihi mundus amareſcat, ut ſolus Chriſtus animæ meæ dulceſcat, Amen.

(*a*) 1. *Joh.* 2, 15. (*b*) *Matth.* 6, 21. (*c*) *Pſ.* 55, 7.

CAP. X.

PRO ABNEGATIONE SUI ORAT.


O JEſu Chriſte, Fili Dei vivi, qui in verbo tuo exclamas: *Quicunque* (a) *vult meus eſſe diſcipulus, abneget ſeipſum, tollat crucem ſuam & ſequatur me:* oro te per ſanctiſſimam tuam mortem & crucifixionem, perfice in me eam, quam requiris, mei abnegationem. Novi facilius eſſe, omnes creaturas deſerere, quam ſeipſum abnegare. Quod igitur ex me ipſo præſtare nequeo, illud ut in me perficias, humiliter peto. Conticeſcant in me voluntatis propriæ deſideria, ut audire poſſim divina tua alloquia. Eradicentur ex corde meo amoris proprii fibræ, ut creſcant in me ſuaviſſimæ divini amoris plantæ. Totus mihi & concupiſcentiis meis moriar, ut totus tibi, tuæque voluntati vivam. Voluntas mea mu-

(a) *Matth.* 16, 24.



Sanguine quo recreet pullos hic pectora findit:
Et Victrix JESU mors tua mihi vita est.

So dieser mit blute bringt Jungē Jugitte sie rettet auß noth:
Wie solte nicht geben mir wider das leben HERR Jesu dein Todt.




mutabilis eſt ac mobilis, vaga & inſtabilis. Da igitur, ut voluntati tuæ meam ſubjiciam, & tibi ſoli immutabili ac perpetuo bono indivulſe adhæream! Tum demum divinæ in nobis creſcunt virtutes, quando naturales deficiunt vires: tum demum *a* in Deo fiunt noſtra opera, quando mortificata eſt in nobis voluntas propria: tum demum *b* vere in Deo ſumus ac vivimus, quando in nobis ipſis quaſi annihilamur ac evaneſcimus. Ergo, o vera vita, mortifica voluntatem meam, ut vere tibi vivere incipiam! Quicquid in nobis Deo probari debet ac placere, illud ab ipſo oportet in nos deſcendere. Soli igitur Deo omne bonum adſcribendum, & quod ipſius eſt proprium, ipſi relinquendum. Quicquid in nobis fulget ac coruſcat, id ab æterna & incommutabili luce oritur, quæ tenebras menti noſtræ innatas irradiat.

(*a*) *Johann.* 3, 21. (*b*) *Act.* 17, 28.

Eo igitur modo *a* lux noſtra coram hominibus ſplendeat ; non ut nobis, ſed ut DEO gloria exinde ſurgat. Hanc veræ cognitionis lucem, o Chriſte, vera lux, in mente mea accende: hanc proprii honoris abnegationem, o Chriſte, vera Patris gloria, in corde meo operare. Melius mihi in te quam in me. Ubi non ego, ibi felicius ego. Infirmitas mea fulciri deſiderat virtute tua, nihil [illegible]m meum aſpirat ad robur tuum. Voluntas *b* tua ſancta in terra carnis meæ fiat, ut cœleſte tuum regnum in animam meam veniat. Mortifica in me amorem ac honorem proprium, ne impediat regni tui adventum. Si totum hominis bonum eſt amare DEUM, totum hominis malum ſit neceſſe eſt, amare ſeipſum: ſi ea veri boni conditio eſt, ut ſe effundat, magnum malum erit amor proprius, qui ſua & aliorum bona ſibi vendicat. Si uni DEO omnis debetur gloria, maximum futu-

(*a*) *Matth.* 5, 16. (*b*) *Matth.* 6, 10.





Debita sunt, fateor, mea magna, ah maxime judex:
ast solvit sponsor sanguine cuncta suo.

Sieh O hertze Gottes huld,
und gib dich zu frieden,
Christus hat bezahlt die schuld,
dann Er hilfft den müden.

futurum erit honor proprius, qui aliena ad ſe trahit bona. Hunc amoris & honoris proprii affectum in me extingue, o Chriſte, in ſeculum benedicte, Amen.

CAP. XI.

PRO VICTORIA MUNDI PRECATUR.

OMnipotens, æterne ac miſericors DEUS, Pater Domini noſtri JESU Chriſti, da mihi Spiritus Sancti gratiam, ut de omnibus mundi tentationibus reportem victoriam. Oppugnat me mundus odiis, blanditiis & perverſis exemplis: doce me mundi odia parvi æſtimare, blanditias ejus declinare, & pravorum imitationem vitare. Quid poterunt contra me mundi odia, ſi inſtar ſcuti tua me protegat gratia? Quid obeſſe mihi poterit, ſi omnes homines odio me proſequantur, modo tu, DEus meus, amore me complectaris; Viciſſim,

 quid

quid prodesse mihi poterit, si omnes homines amore me complectantur, tuque interim iræ tuæ furore me prosequaris? Transit mundus, transeunt mundi odia: Sola autem socius Dei constans perennat gratia. Remove igitur, o Deus, ex corde meo inordinatum illum timorem, ne mundi odia & persecutiones extimescam: insere vero plenam animi fiduciam ac Spiritus fervorem, ut mundana odia, quippe transitorias nubeculas, contemnere discam. Cur *a* ab iis mihi metuam, qui corpus occidunt, animam autem occidere non possunt? Eum potius reverebor ac timebo, qui non corpus solum, sed & animam detrudere potest in æterni ignis gehennam. Fides *b* nostra est victoria, quæ mundum vincit. Fide enim futura respicimus gaudia, ut præsentia perferre possumus adversa: fide in bonitate divina recum-

(*a*) *Matth.* 10, 28. (*b*) 1. *Joh.* 5, 4.

cumbimus, ut hominum odia ſuſtinere poſſimus. Nec vero a ſiniſtris ſolum oppugnat me mundus odiis, ſed etiam a dextris ſuis me ineſcare conatur blanditiis: caudam habet pungentem, ſed & faciem habet blandientem. Da mihi, o Chriſte, guſtare ſuavitatem cœleſtis gaudii, ut pereat in me omnis amor mundi. Corruptus eſt animæ meæ guſtus, appetit terrena, & amarus ipſi videtur blanditiarum mundanarum contemtus: at tu, o vere rerum æſtimator, mundi illecebras reſpuere me docuiſti, & ad cœleſtia animam meam evehi voluiſti. Averte igitur, averte cor meum a mundi blanditiis, ut ad te converſum veris ac ſpiritualibus perfruatur delitiis. Quid profuit mundi amatoribus jam demortuis inanis gloria, brevis lætitia, tenuis potentia? quid profuit momentanea carnis voluptas, & falſarum divitiarum ubertas? ubi ſunt, qui ante paucos dies nobiſcum fuerunt? nihil

de illis remansit nisi cineres & vermes: comederunt ac biberunt securi, vitam suam transegerunt carnali lætitia ebrii, nunc caro ipsorum vermibus in cibum hic datur, anima vero æterno igne illic cruciatur: omnis ipsorum gloria defloruit, & velut agri fœnum exaruit. Prohibe, o DEUS, ne ipsorum viis insistam, ne ad eundem miseriæ terminum perveniam: sed per mundi victoriam duc me ad cœlestis gloriæ coronam, Amen.

CAP. XII.

PRO CONSOLATIONE IN ADVERSIS, ET VERA QVIETE ANIMÆ PRECATUR.

BEnignissime Pater, DEus omnis *a* spei & consolationis, concede mihi in omnibus adversis vivificam consolationem, & veram animæ quietationem. Multas *b* in corde meo sentio angustias, sed consolationes tuæ lætificare poterunt animam meam. Vana

(*a*) 2. *Cor.* 1, 3. (*b*) *Ps.* 94, 19.

Vana ac frustranea est omnis mundi consolatio, in te solo est animæ meæ robur & sustentatio. Premit me variarum calamitatum pondus: sed interiori tuo alloquio & consolatione redditur levius. Nulla creatura tantopere me poterit contristare, quin tu magis possis *a* Spiritu lætitiæ me exhilarare. Nulla tantopere me coangustare poterunt adversa, quin cor meum magis dilatari possit tua gratia. Urget me æstus variarum afflictionum: sed gustus dulcedinis tuæ blandum mihi præstat refrigerium. Destillant ex oculis lachrymarum flumina: sed *b* abstergit illas manus tua benignissima. Quemadmodum Stephano, protomartyri, inter medios lapidantium ictus amicam faciem tuam exhibuisti contuendam: ita mihi misero in omnibus adversis consolationem tuam exhibere velis perfruendam. Quemadmodum in tristissima mortis agonia Filio tuo Angelum *c*

(*a*) *Ps.* 51, 14. (*b*) *Apoc.* 7, 17.
(*c*) *Luc.* 22, 43.

misisti consolatorem : ita in lucta hac mea Spiritum mihi mittere velis sustentatorem. Sine tuo robore sub crucis onere collabor, sine tuo adjutorio ab impetu variarum adversitatum prosternor. Extingue in me mundi & creaturarum amorem: sic mundi adversa & creaturarum mutabilitas nullum mihi afferent amraorem. Qui corde suo adhæret mundo & creaturis, nunquam particeps fieri poterit veræ & imperturbatæ quietis. Siquidem terrena omnia perpetuis mutationum vicissitudinibus sunt obnoxia. Qui vero præsentibus hujus vitæ bonis non adhæret inordinata amoris cupiditate, is fugientibus iisdem non torquebitur nimiæ solicitudinis anxietate. Effunde, o Deus, ex corde meo mundi amorem & desiderium, ut cœlestis Elisæus *a* in vasculum viduæ, hoc est, animæ, terrena consolatione destitutæ, infundat cœlestis gaudii oleum.

Tur-

(*a*) 2. *Reg.* 4, 3.

Turbentur, mutentur, ſurſum ac deorſum volutentur terrena omnia, tu nihilominus es cordis *a* mei immota rupes ac firmiſſima petra. Num egena & infirma creatura turbare poſſit animæ quietem, quam in te creatore certam & immotam poſſideo? Num fluctus mundi, inquietiſſimi illius maris, convellere poſſint cordis mei petram, quam in te, ſummo & incommutabili bono, fixam habeo? Quinimo, pax *b* tua exſuperat omnem intellectum, eadem etiam ſuperabit omnium adverſitatum incurſum. Quam interiorem pacem a te, benigniſſime Pater, ſupplicibus gemitibus precor, Amen.

(*a*) *Pſ.* 73, 25. (*b*) *Phil.* 4, 7.

CAP. XIII.

PRO VICTORIA IN TENTATIONIBUS ET CUSTODIA AB INSIDIIS DIABOLICIS PRECATUR.

ADſis mihi, Deus Zebaoth, Deus fortis & miſericors, ne tentationibus

bus ac insidiis Satanicis succumbam, sed tuo præsidio tutus, tuoque auxilio suffultus, victor tandem evadam. Intus *a* pavores, foris pugnæ. Interius enim venenatis atque ignitis tentationum telis animam meam Diabolus vulnerat: exterius variis adversitatibus ac mille insidiarum *b* generibus me fatigat. Serpens est per fallacem deceptionem, leo per violentam aggressionem, draco per crudelem oppressionem. Ipsum *c* cœlestis exercitus Ducem ausus est aggredi: num gregario mihi parcet militi? Ipsi capiti non dubitavit se opponere: quid mirum, si infirmum corporis mystici membrum cogitet prosternere? Nulla in me virtus, quæ possit adversus hunc fortem armatum subsistere: nulla in me sapientia, quæ possit fraudes ac retia hujus μυριοτέχνε effugere. Ad te igitur supplicibus gemitibus me converto, cujus po-

(*a*) 2. *Corinth.* 7, 5. (*b*) *Eph.* 6, 11.
(*c*) *Matth.* 4, 3.

potentia nescit terminos, sapientia numeros. Adsis mihi, o Christe, *a* Leo de tribu Juda fortissime, ut infernalem istum Leonem in te ac per te possim vincere. Pugnasti & vicisti pro me, ut virtus tua in mea perficiatur infirmitate. Illumina oculos mentis meæ, ut Satanicæ mihi conspicuæ fiant insidiæ: dirige pedes meos, ut occultos illius effugere possim laqueos. Victoria tentationis præbeat cordi meo testimonium cœlestis regenerationis: promissionem victoriæ confirmet mihi præsentia tuæ gratiæ. Instrue & armatum me redde *b* fortitudinis tuæ robore, ut in hac duelli acie possim stare, ac hostem illum aquo oppugnor, olim *c* judicare. Quo plures ac periculosiores sunt hostis hujus insidiæ, eo ardentius aspiro ad auxilium tuæ misericordiæ. Modo insatiabilem terrenorum cupiditatem mihi instillat, ut compedibus ava-

(*a*) *Apoc*. 5, 5. (*b*) *Eph*. 6, 10. (c) 1. *Cor*. 6, 3.

avaritiæ illigatum, a via juſtitiæ abducat: Modo iræ ſtimulis me inflammat, ut ad damnum proximo inferendum cor meum intus exardeſcat. Ad libidinem & voluptatum amorem aliquando ſolicitat: mox invidiam & ambitionem animo inſpirat. Antequam in peccatum præcipitet, pluma levius, aere ac folio tenuius illud eſſe perſuadet, ut in ſecuritatem impellat: mox, poſtquam in peccatum præcipitavit, illud cœli terræque machina majus ac miſericordiæ divinæ ſtatera ponderoſius esſe dictitat, ut ad deſperationem tandem adigat. Tot ac tantas hoſtis hujus inſidias non poſſum videre: quanto minus eas potero meis viribus cavere? Ad te igitur confugio, qui es virtus mea ac petra roboris mei in ſeculum,

Amen.

CAP.





Munde vale tandem, jam jam periture valeto:
solus perpetuum nam mihi JOVA bonum est.

Ich acht Ehr und Reichthumb nicht
und was sonst auf erden,
Weil mein hertz zu Gott gericht,
der wird mir dort werden.

CAP. XIV.

PRO BEATO VITÆ EXITU ET BEATA AD VITAM ÆTERNAM RESURRECTIONE PRECATUR.

O JESU Chriſte, Fili Dei vivi, crucifixe pro nobis & reſuſcitate, qui morte tua mortem noſtram deſtruxiſti, ac reſurrectione tua beatam ad vitam reſurrectionem nobis promeruiſti, te unum verum Deum, cum Patre & Spiritu ſancto, adoro ac toto pectore precor, ut beatum mihi concedas ex hujus vitæ miſeriis egreſſum, ac beatum in die reſurrectionis & judicii ad vitam æternam ingreſſum. Scio *a* vitæ terminum divinitus mihi præſtitutum, ac poſt mortem ſecuturum judicium: adſis mihi in morte, qui pro me mortuus es in cruce: protege me in judicii die, qui pro me judicatus es injuſte! Quando *b* terreſtris hujus domus meæ diſſolutum fuerit tabernacu-

(*a*) *Heb.* 9, 27. (*b*) 2. *Cor.* 5, 1

lum, introduc animam meam in cœlestis Patriæ domicilium. Quando in agone mortis obtenebrantur oculi mei, accende in corde meo lucem salvificæ fidei. Quando in hora mortis occluduntur aures meæ, interno tuo alloquio me erige & consolare. Quando frigidus sudor erumpit ex moribundis meis membris, fac me recordari sanguinei *a* tui sudoris, qui pro peccatis meis ἰσόῤῥοπον est pretium, ac mortis meæ ἀλεξίκακον remedium. In sudore apparet fervor, in sanguine pretium, in decursu sufficientia. Quando loquela in ultimo illo agone incipit deficere, da, ut possim per Spiritus sancti gratiam ad te ingemiscere. Quando extremæ istæ cor meum premunt angustiæ, adsis mihi consolatione, & auxilio vivificæ tuæ gratiæ, & omni creaturarum adjutorio destitutum in curam & clientelam tuam recipe. Concede mihi patientissimam omnium horrorum & angorum to-

(*a*) *Luc.* 22, 44.

tolerantiam, & tandem ex carcere illo educ animam meam. Oro te per ſanctiſſima tua vulnera, quæ ſuſtinuiſti in paſſione & cruce, da, ut vincere poſſim ignita Satanæ tela, quibus me aggreditur in morte. Oro te per acerbiſſimos, quos ſenſiſti, cruciatus, da, ut perferre ac ſuperare poſſim omnes infernalium poteſtatum inſultus. Sit ultimum meum verbum in hac luce, cum quo conſummaſti omnia *a* in cruce, atque animulam meam, quam tam charo pretio redemiſti, in manus tuas commendatam ſuſcipe. Beatam mortem beata etiam ſequatur reſurrectio: in illo ſeveri judicii die libera me a verbo aſpero, qui in hac vita tuo me protexiſti adjutorio. Peccata mea gratiæ umbraculo *b* maneant tecta, & in *c* profundum maris projecta. Colligetur *d* animula mea in faſciculum viventium, ut cum omnibus electis

 ad

(*a*) *Luc.* 23, 46. (*b*) *Pſ.* 32, 1. (*c*) *Mich.* 7, 19. (*d*) 1. *Sam.* 25, 29.

ad æterni gaudii perveniam consortium, Amen.

PARS QVARTA.
DE MEDITATIONE INDIGENTIÆ PROXIMI.

Meditatio indigentiæ proximi communem Ecclesiæ ac Reipublicæ salutem respicit, ac aliorum miseriam ut suam aspicit. Fructus hic est veræ & sinceræ charitatis, quæ in unum corpus mysticum sub uno capite Christo nos omnes colligat, ac totius Ecclesiæ, omniumque illius membrorum seriam curam nobis commendat. Non est verum corporis membrum, quod totius structuræ corporeæ incolumitatem pro virili conservare non nititur, vel quod alteri membro patienti non compatitur: eandem statue rationem esse in corpore Christi mystico. Quicunque igitur est verum ac vivum Christia-

stianæ Ecclesiæ membrum, quotidie oret pro Verbi Conservatione, pro Pastoribus & Auditoribus, pro Magistratu & subditis, pro statu œconomico. Hæ enim sunt tres illæ Hierarchiæ, propter vitæ hujus incolumitatem & cœlestis regni propagationem divinitus institutæ. Oret etiam pro cognatis & benefactoribus, quibus speciali quodam vinculo se obstrictum agnoscat; pro inimicis ac persecutoribus, quorum conversionem ac salutem serio expectat, pro afflictis ac ærumnosis, quorum calamitatibus ex animo sese commoveri sentiat.

CAP. I.
PRO CONSERVATIONE VERBI ET INCREMENTO ECCLESIÆ ORAT.

OMnipotens, æterne ac misericors Deus, Pater Domini nostri JESU Christi, qui per Spiritum sanctum Ecclesiam ex genere humano colligis

& sanctissimum cœlestis doctrinæ depositum in ea custodis, te adoro humiliter ac precor suppliciter, ut verbi tui salutarem doctrinam inviolatam apud nos conserves, & Ecclesiæ terminos quotidie latius propages. Accendisti nobis ex immensa misericordia in his mundi tenebris lucem verbi tui, eam ne patiaris humanarum traditionum nebulis iterum extingui vel obscurari. Dedisti nobis verbum tuum in salutarem animi cibum: Prohibe, quæsumus, ne Satanæ deceptione ac hominum corruptione convertatur in toxicum. Mortifica in nobis vitiosas carnis, terrestria sitientis, concupiscentias, ut spirituales verbi tui absconditi illius *a* mannæ gusteinus delitias. Nemo poterit dulcedinem illius sentire, nisi qui voluerit gustare. Nemo autem ea gustat, cujus palatum mundanis delitiis adhuc abundat. Verbum *b* tuum est verbum Spiritus & vitæ, verbum lucis & gratiæ. Tolle igitur car-

2, 17. (*b*) *Joh*. 6, 63.

carnales affectus & corruptos cordium nostrorum sensus, ut nobis etiam interius luceat, atque ad æternæ vitæ lucem ducatum præbeat. Ex luce verbi oriatur in cordibus nostris lux salvificæ fidei, ut in lumine tuo *a* videamus lumen: in lumine verbi, lumen Filii tui. Sicut olim in deserto cœleste illud manna descendebat cum salutari rore: ita quoque per auditum verbi impleantur corda nostra Spiritus fervore, quo frigiditas ac tepor carnis nostræ excitetur: contra vero pravarum concupiscentiarum æstus temperetur. Radices in cordibus nostris agat sanctum hoc verbi semen, ut Spiritus sanctus rore accedente salutares fructus proferat, & in uberrimam quandam segetem excrescat. Protege, ô Domine, vineam Ecclesiæ tuæ, in qua semen illud spargitur, & fructus ad æternam vitam colligitur. Circumda illi sepem Angelicæ custodiæ, *b* ne diruant eam a-

(*a*) *Ps.* 36, 10, (*b*) *Ps.* 80, 9.

pri ac vulpeculæ: illi quidem violentis persecutionibus; hæ vero fallacibus seductionibus. *a* Erige in ea altam paternæ providentiæ tuæ speculam, ut ab omni devastatione immunis sit per tuam custodiam. Quod si quandoque visum fuerit uvas hujus vineæ torculari crucis ac calamitatum subjicere, maturescant prius gratiæ tuæ ardore, ut suavissimos fructus fidei & patientiæ possint exhibere. Quicquid radici palmitis apponitur, in suavissimum vinì liquorem in uvis convertitur: effice, quæso, ut anima nostra subsannationes, persecutiones, laudes & quicquid in hoc mundo ipsi contrigit, convertat in vinum fidei, spei & charitatis, in fructum patientiæ & humilitatis! Ex hac Ecclesia militante tandem nos provehe ad Ecclesiam triumphantem: portatile hoc tabernaculum convertatur tandem in pulcerrimum ac perpetuum cœlestis Hierosolymæ templum! Amen.

(*a*) *Es.* 5, 2.

CAP. II.

PRO PASTORIBUS ET AUDITORIBUS SUPPLICAT.

O JEſu Chriſte, Fili Dei vivi, Mediator ac Redemtor noſter unice, qui ad dextram Patris exaltatus, *a* Paſtores & Doctores verbi tui mittis, quorum opera Eccleſiam tibi inter nos colligis, te unum verum cum Patre ac Spiritu ſancto Deum ſupplex oro, ut Miniſtros illos tuos in via veritatis, ac corda auditorum ad veram fidei obedientiam flectas. Nullus eſt vitæ humanæ ſtatus, nullum genus hominum, quod odio ac inſidiis Satanæ tam ſit obnoxium, quam Eccleſiaſticum verbi Miniſterium. Defende igitur membra illius ſcuto gratiæ, & inſtrue robore patientiæ, ne Satanicæ ſupplantare eos poſſint inſidiæ. Da, quæſo, miniſtris tuis neceſſariam ſcientiam, & piam in omnibus actionibus vigi-

(*a*) *Eph.* 4, 11.

lantiam, ut à te prius diſcant, antequam alios docere præſumant. Corda ipſorum per Spiritum tuum rege ac illumina, ut loco Dei nihil aliud prædicent, quam divina eloquia; paſcant *a* commiſſum ſibi gregem, precioſo tuo *b* ſanguine emtum ac redemtum, ex vera & ſincera dilectione, non ex avaritia vel ambitione: paſcant *c* mente, ore & opere; paſcant animi oratione, verbi exhortatione, & exempli exhibitione, ut inſiſtant illius veſtigiis, cui tribus vicibus commendabatur cura Dominici gregis. Excita eos, ut ſuper animas ſibi commiſſas vigilent, utpote *d* rationem pro illis gravem reddituri in diſtricto examine ultimi Judicii Quicquid *e* verbo ſanctæ prædicationis monent, ad illud ipſi prius ſtudio bonæ actionis evigilent: ne in ſeipſis opere torpentes, alios excitare fru-

(*a*) 1. *Pet.* 5, 2. (*b*) *Actor.* 20, 28. (*c*) *Joh.* 21, 17. *Bernh. ſerm.* 2. *de reſur. col.* 134. (*d*) *Hebr.* 13, 17. (*e*) *Greg. lib.* 3. *paſtor. curæ c.* 6.

ſtra

ſtra laborent. Ad quæcunque opera bona alios inflammant, in illis ipſi prius Spiritus fervore ardeant: Antequam verba exhortationis inſonent, quicquid locuturi ſunt, prius operibus clament. Extrude *a* in meſſem tuam fideles operarios, ut multos ſanctorum colligant manipulos. Aperi *b* etiam auditorum corda, ut ſemen verbi recipiant ſancta fidei obedientia. Da illis gratiam tuam, ut ſanctum verbi depoſitum in corde puro *c* cuſtodiant, ac fructum copioſum in patientia ferant. Audiant attente, audiant ſolicite, audiant fructuoſe: ne ſermo, *d* qui prædicatur eis, fidei non admixtus judicet eos in noviſſimo die. *e* Extat diſertum benignitatis tuæ promiſſum, quod verbum tuum non debeat reverti *f* ad te vacuum, hujus promiſſionis tuæ

(*a*) *Matth.* 9, *ult.* (*b*) *Actor.* 16, 14. (*c*) *Luc.* 8, 15. (*d*) *Hebr.* 4, 12. (*e*) *Joh.* 12, 48. (*f*) *Eſ.* 55, 18.

memor effice, ut benedictus sit *a* plantantium ac rigantium labor. Prohibe, quæso, ne infernalis corvus sanctum verbi tui semen *b* ex agro cordium humanorum eruat, nec spinetum voluptatum ac divitiarum illud comprimat, nec petræ durities fructificationem ejus impediat, sed rore gratiæ tuæ desuper infuso, cœleste illud semen irriga, ut bonorum operum seges exinde surgat largissima. Pastorum & auditorum corda invicem constringe arctissimo charitatis vinculo, ut mutuis simul pugnent precibus, ac mutuo sese erigant solatio, Amen.

(*a*) 1. *Cor.* 3, 7. (*b*) *Matth.* 13, 4. *Luc.* 8, 12. 13. 14.

CAP. III.

PRO MAGISTRATU AC SUBDITIS ORAT.

OMnipotens, æterne ac misericors Deus, Domine exercituum, qui *a* trans-

(*a*) *Dan.* 2, 21.

transfers & ſtabilis regna, à quo *a* omnis poteſtas in cœlo ac in terra, quem in cœlis adorant Angeli, laudant Archangeli, venerantur Throni, cui ſubjectæ ſunt dominationes, ſerviunt principatus, quem colunt poteſtates, reverentur virtutes, cum illis ſanctis ac potentiſſimis ſpiritibus hæc qualiacunque mea vota conjungo & humiliter invoco, ut noſtrum quoque in terris Magiſtratum Spiritu ſapientiæ impleas, ac robore fortitudinis tuæ protegas. Adſis tua gratia omnibus Chriſtianis Regibus ac Principibus, ut, quo in majori verſantur periculo propter ſtatus ſui ſublimitatem, eo majorem erga ſe experiantur benignitatis tuæ ubertatem. Accende in cordibus ipſorum cœleſtis ſapientiæ lucem, ut agnoſcant ſe tibi, omnium Domino, cujus vaſalli audiunt, eſſe ſubjectos, atque ad reddendam olim regiminis ſui rationem obſtrictos. Paci ſtudeant, cum tibi

(*a*) *Rom.* 13, 1.

tibi pacis Principi ſerviant: juſtitiæ ſtudeant: cum tibi juſtiſſimo judici ſerviant: clementiæ ſtudeant, cum tibi benigniſſimo Patri ſerviant. Cuſtodes ſint utriusque Decalogi tabulæ, & nutricii afflictæ in hoc mundo Eccleſiæ: induant paternum erga ſubditos affectum, & rectum ſemper adminiſtrent judicium. Abſtrahe corda ipſorum à ſplendore terrenæ & egenæ illius poteſtatis, ne ſurrepat illis oblivio cœleſtis regni ac veræ pietatis. Rege eos Spiritu tuo ſancto, ne forte animo efferantur, ac poteſtate ſibi conceſſa ad malum abutantur: da, *a* ut partes officii ſui in hoc ſeculo ita adminiſtrent, ut ſine fine in perpetuum cum omnibus electis regnent, ac de fugaciſſima gloria hujus ſeculi transeant ad æternam gloriam cœleſtis regni. Prohibe, quæſo, ne tyrannidem in populo tuo exerceant, ac propterea poſt veſtium fulgorem, gemmarumque nitorem nudi

(*a*) *Iſidor. lib. 3. ſent. c.* 48.

nudi & miſeri ad infernum torquendi deſcendant. Nobis vero, quos vicariis illis tuis ſubjectos eſſe voluiſti, da cor obediens & omni promtitudine ſerviens, ut *a* ſub imperio eorum vitam agamus quietam & tranquillam, in omni pietate ac honeſtate: præſtemus illis honorem& obſequium, quorum agnoſcimus juſtum in nos imperium ac dominium: obtemperemus honeſtis eorum mandatis, ut legibus ſerviendo participes reddamur veræ libertatis. Namque ea demum vera libertas eſt, Deo, Magiſtratui & legibus ſervire. Honoremus illos corde, ore, & opere, quos, ô benigniſſime Deus, tui vicem in terris voluiſti gerere. Sint *b* oculi Magiſtratus vigiles ac videntes, ſint aures ſubditorum apertæ atque audientes, ſint utriusque cœlorum portæ olim recluſæ ac patentes, Amen.

(*a*) 1. *Tim.* 2, 2. (*b*) *Prov.* 20, 21.

CAP.

CAP. IV.

PRO STATU OECONOMICO PETIT.

OMnipotens ac misericors Deus, Pater Domini nostri Jesu Christi, qui sapientissimo consilio præter ministerium Ecclesiasticum ac regimen Politicum instituisti etiam statum œconomicum, te adoro ac precor toto pectore, ut conserves sanctum illud Ecclesiæ ac Reipubl. seminarium. Da virginibus, viduis, ac conjugibus veram animi sanctitatem ac puram corporis castitatem. Virgines absque ulla distractione tibi adhæreant: *a* Viduæ orationibus *b* nocte ac die insistant: conjuges sincero amore sese invicem diligant: omnes justitia & sanctitate ex toto corde tibi serviant; sit *c* conjugum torus impollutus, sit omnium animus, immaculatus. Sint violæ humilitatis & lilia castitatis: sint rosæ charitatis,

(*a*) 1. *Cor.* 7, 34. (*b*) 1. *Tim.* 5, 5. (*c*) *Hebr.* 13, 4.

tis, & balſamum ſanctitatis. Conſtringe piorum conjugum corda caſti amoris vinculo, ut mutuo ſeſe complectantur obſequio, & in ſancto ſuo perſeverent ſervitio. Cuſtodi illos ab *a* Asmodæi inſidiis, ne mutuis invicem exardeſcant odiis. Uxor *b* viro ſit adjutorium, & in adverſis præbeat ſolatium. Conjugii indiſſolubile vinculum ſit nobis omnibus amoris inter Chriſtum & Eccleſiam *c* Sacramentum. Conjugum ſocietas quo eſt arctior, & zelus ipſorum in oratione ſit ferventior: quo majoribus obnoxii ſunt periculis ac calamitatibus, eo conjunctiori animo verſentur in pietate ac precibus. Adſis piis parentibus tua gratia, ut liberos ſuos educent in *d* ſanctis admonitionibus ac diſciplina. Fructus illos conjugii donum tuum eſſe agnoſcant, eosdemque per piam ac fidelem inſtitutionem viciſſim tibi reddant. Præluceant

(*a*) *Tob.* 3, 8. (*b*) *Gen.* 2, 18. (*c*) *Eph.* 5, 32. (*d*) *Eph.* 6, 4.

ceant eis ſanctæ vitæ exemplo, nec gravisſimo ſe obſtringant ſcandali peccato. Flecte etiam liberorum corda, ut parentibus ſuis debitæ obedientiæ præſtent obſequia: ſint ſuaveolentes cœleſtis Paradiſi plantulæ, ne fiant inutilia ligna obnoxia flammis gehennæ. Spargant ex ſe gratiſſimum pietatis, obedientiæ, reverentiæ ac omnigenæ virtutis odorem, ne in teterrimum peccatorum ac inferni incidant fœtorem. Memores ſint præcepti de honorandis parentibus, ſoliciti ſint de rependendis ἀντιπελαργίας vicibus, memores ſint θρεπτηρίων reddendorum, ne ſemetipſos præcipitent in profundum variorum malorum. Parentes ac liberi conjunctis ſtudiis in hac vita te verum Deum colant, ut in æterna vita conjunctis laudibus te extollant. Servi *a* Dominis ſuis promte obtemperent, ac in timore, ac ſimplicitate cordis ſui illis non ad oculum tantum

(*a*) *Eph.* 6, 5. 6.

tum ſervire, vel hominibus placere ſtudeant, ſed Chriſto hæc ſervitia dependi ſtatuant. Viciſſim vero Domini complectantur eos paterna benevolentia: ne ex juſto imperio fiat crudelitas Tyrannica. Societas œconomica ſit Eccleſia domeſtica, DEO & Angelis dilecta, Amen.

CAP. V.

PRO COGNATIS AC BENEFACTORIBUS INTERCEDIT.

SAncte ac miſericors DEUS, à quo largiſſimus variorum bonorum ad nos deſcendit cumulus, qui per cognatos ac benefactores plurima hujus vitæ mihi contuliſti ſubſidia, oro te, ut æterna illis viciſſim rependas præmia. Quos ſpeciali quodam Naturæ ac ſanguinis vinculo mihi voluiſti eſſe conjunctos, eos ſpecialiter tibi commendo ſervandos. Quibus ſpecialem quendam amorem ac ſingularem curam debeo, illorum ſalutem

tem ſeriis & credentibus precibus tibi defero. Da, ut conjunctis animis & ſtudiis cognati mei in vera fide ac pietate tibi ſerviant, ut immarceſſibilem æternæ gloriæ coronam omnes olim accipiant. Parentibus meis, quos ſecundum te vitæ autores mihi dediſti, ac in vera pietate informatores, nequaquam poſſum reddere condigna præmia. Te igitur, omnis boni autorem, omniumque beneficiorum remuneratorem, humiliter precor, ut temporalibus ac æternis præmiis compenſes illorum beneficia. Doceat me exemplum Chriſti, Filii tui, qui circa agonem mortis diſcipulo ſuo commendavit matris curam, ad ultimam usque reſpirationem parentum habere diligentiam. Doceat ipſa Natura in ciconiæ exemplo, quod perpetua debeatur gratia parentum merito. Tibi quoque, benigniſſime Pater, fratrum ac ſororum, adeoque omnium cognatorum meorum incolumitatem commendo.

Sint

Sint fratres ac ſorores Chriſti, ſint hæredes cœleſtis regni. Conjungantur mecum in regno gratiæ, quos conjunxiſti mihi in vita Naturæ, & quos cum lachrymis & doloribus jam dum à me ſejunxit mortis violentia, eos noviſſimus tuus adventus cum æterna mihi reddat lætitia. Fac nos omnes cives cœleſtis Hieroſolymæ, quemadmodum in hac vita feciſti nos membra veræ Eccleſiæ. Id ipſum quoq; omnibus benefactoribus meis ex animo precor: quorum ſeria cura ac deſiderio ſalutis ipſo Naturæ jure teneor; recipe *a* eos in æterna ſupernæ civitatis tabernacula, per quos tam varia & copioſa mihi exhibuiſti beneficia. Cor *b* meum proponit tibi infallibile verbi tui promiſſum, quod ex gratia remunerari velis etiam frigidæ *c* aquæ potum, quanto magis æquum erit, ut liberalem ac beneficum te ſentiant, qui tam larga manu omnis

(*a*) *Luc.* 16, 9. (*b*) *Pſ.* 27, 8. (*c*) *Matth.* 10, 42.

omnis generis beneficia indigentibus præſtant. Non ceſſet gratiarum tuarum ad eos recurſus, à quibus tanti fiunt beneficiorum ad alios decurſus, perpetuo eis ſcaturiat fons tuæ bonitatis, à quibus tam largi promanant rivuli benignitatis. Effice, quæſo, miſericordiſſime DEus, ut qui carnalia tam *a* large ſeminant, ſpiritualia magno cum fœnore recipiant: adimple eorum animas lætitia, qui eſurientium paſcunt viſcera, fructus beneficentiæ illis non pereat, quamvis de bonis pereuntibus fiat: da illis, qui dant aliis, dator omnis boni in ſeculum benedicte, Amen.

(*a*) 1. *Cor.* 9, 11.

CAP. VI.

PRO INIMICIS AC PERSECUTORIBUS ORAT.

DOmine JEſu Chriſte, Fili Dei unigenite, qui in verbo tuo hanc charitatis regulam nobis præſcripſiſti: *Diligite* (*a*) *inimicos veſtros, benefacite*

(*a*) *Matth.* 5, 44. *Luc.* 6, 35.



Ad montes properat ceu tẽpestate columba,
divisum latus est sic mihi CHRISTE quies.

Wie ein täublein ruhe find
hier in Donner streiten
Also treibt mich meine sünd.
HERR, zu deiner seiten.



cite his, qui oderunt vos, ac orate pro persequentibus & devexentibus vos: te, benignissimum condonatorem, pro meis etiam oro hostibus atque Ecclesiæ persecutoribus. Da mihi Spiritus sancti gratiam, ut inimicis meis non solum ex corde condonem, sed etiam pro ipsorum salute ex animo orem. Ne, quæso, exuas super eos gladium severæ ultionis, sed impingua caput ipsorum oleo miserationis. Extingue in cordibus ipsorum iræ atque odii favillas, ne excrescant in infernales gehennæ flammas. Agnoscant vitam nostram esse *a* vaporem ac fumum cito evanescentem, corpus nostrum esse *b* cinerem ac pulverem fugientem, ne in corpore mortali immortales iras gerant, neve in fragilem testacei corporis domunculam hostem animæ suæ recipiant. Agnoscant, quod inveteratum istud odium sit hostis ipsorum maximus, cum animam occi-

(*a*) *Jac.* 4, 14. (*b*) *Eccl.* 10, 9.

cidat, & vitæ cœleſtis participatione ipſos excludat. Illumina ipſorum mentes, ut divinæ miſericordiæ ſpeculum intuiti, iræ atque odii deformitatem agnoſcant: rege ipſorum voluntates, ut divinæ condonationis exemplo moti, ab iraſcendi ac lædendi propoſito deſiſtant. Concede mihi propitius, ut quantum in me eſt, *a* cum omnibus hominibus pacem poſſim habere, & corda inimicorum meorum ad fraternam reconciliationem converte. Ambulemus concordes in hujus vitæ via, cum unum ſperemus *b* locum in cœleſti patria: ne diſſideamus in terris, cum aliquando una vivere deſideremus in cœlis. Te unum invocamus in cœlis Dominum ac Deum: unius Domini ervos invicem diſſidere haud eſt æquum. Unum ſub Chriſto capite ſumus corpus myſticum: unius corporis membra invicem pugnare admodum turpe eſt, atque ignomini-

nio-

(*a*) *Rom.* 12, 18. (*b*) *Eph*, 4, 4.

niosum. Quorum una fides atque unus baptismus, eorum etiam, convenit, ut unus sit spiritus atque animus. Nec solum pro privatis meis inimicis oro, sed etiam pro publicis Ecclesiæ hostibus ac persecutoribus. Ad veritatis viam, ò summa veritas, illos converte, & sanguinarios ipsorum conatus, ô summa potentia, everte! Fulgor cœlestis veritatis clausos ipsorum oculos feriat, ut rabiosus persequendi furor tandem in ipsorum animis conquiescat. Agnoscant, agnoscant, non modo frustraneum fore, sed etiam periculosum, si *a* calcitrare pergant adversus stimulum. Cur luporum imitantur furorem, qui norunt Christi, immaculati Agni, pro nobis effusum esse cruorem? Cur innocuum illum sanguinem effundere sitiunt, pro quo ipsius Filii DEI sanguinem in ara crucis effusum esse sciunt? Converte illos, ô Deus, ut ad te ex animo convertantur, & fructum

(*a*) *Act.* 9, 5.

conversionis suæ in hac & futura vita consequantur, Amen.

CAP. VII.

PRO AFFLICTIS ET ÆRUMNOSIS SUPPLICAT.

OMnipotens, æterne ac misericors Deus, qui *a* es Salvator omnium hominum, maxime fidelium, ac *b* preces pro omnibus hominibus fieri mandasti per Apostolum, oro te pro omnibus afflictis atquæ ærumnosis, ut consolatione gratiæ tuæ illos fulcias atque auxilio potentiæ tuæ illis subvenias. Indue illos cœlesti virtute ac robore, qui in gravissimo Satanicarum tentationum sudant agone, redde eos participes victoriæ tuæ, ô Christe, victor Diaboli potentissime. Quorum ossa tristitiæ ignis exsiccat, eos refrigerium cœlestis tuæ consolationis erigat, sustenta *c* omnes corruentes, atque erige omnes in-

(*a*) 1. *Tim.* 4, 10. (*b*) 1. *Tim.* 2, 1. (*c*) *Ps.* 145, 14.

incurvatos. Ægrotis concede propitius, ut morbus corporis ipsis sit medicina spiritualis, & carnis adversa sint illis animæ remedia: Agnoscant, morbos esse pedissequas peccati, prodromos autem lethi. Da illis robur fidei ac patientiæ, ô animarum ac corporum Medice verissime: restitue eos pristinæ sanitati, modo commodum sit sempiternæ ipsorum saluti. Protege gravidas, sublева puerperas. Tu es, qui ex materni uteri angustiis fœtum liberas, ac benedictione tua genus humanum propagas. Adsis parturientibus, ô amator ac dator vitæ, ne immodica dolorum opprimantur mole. Orphanos, omni auxilio destitutos, ale, viduas, omnium opprobrio subjectas, defende, qui teipsum appellasti orphanorum benignissimum patrem, ac viduarum justissimum vindicem. *a* Viduarum lachrymæ, quæ per genas defluunt, nubes perrumpant, nec

(*a*) *Eccles.* 35, 19.


conquiescant, donec ad solium tuum veniant. Exaudi illos, qui in maris periculis constituti ad te clamant, & naufragio proximi seriis gemitibus ad te suspirant. Redde captivis libertatem, ut grato corde tuam prædicent benignitatem. Confirma illos, qui *a* persecutionem patiuntur propter justitiam, ut ab omnibus inimicis suis reportent victoriam, & æternam Martyrii acquirant coronam. Adsis omnibus, quotquot in periculis & calamitatibus constituti sunt, ut in vera *b* patientia animas suas possideant, ac voluntatem *c* propriam abnegantes, crucem suam tollant. Sequantur eum sub cruce, in quem credunt pro nobis mortuum in cruce. Cumprimis vero, benignissime Pater, illos tibi commendo servandos, qui circa portas mortis constituti, inter tempus ac æternitatem versantur, & cum extremo

(*a*) *Matth.* 5, 10. (*b*) *Luc.* 21, 19. (*c*) *Matth.* 16, 24.

nio isto hoste totis viribus luctantur: Confirma eos, ô mortis victor potentissime: libera eos, ô vitæ Dux gloriosissime, ne tentationum fluctibus obruantur, sed ad portum æternæ tranquillitatis perducantur. Miserere omnium hominum, qui es Creator omnium! miserere omnium, qui es Redemtor omnium! Tibi sit laus & gloria in sempiterna secula! Amen.

FINIS.





Hisce

MEDITATIONIBUS
SACRIS


insuper

BENEDICTIONES MATUTINÆ ET VESPERTINÆ,

EX

JOHAN. AVENARII
MANUALI,

In Usum Studiosorum adjunctæ sunt.



INGRESSURUS TEMPLUM DICAT ET ORET.

OMnipotens DEUS, Pater cœleſtis, in multitudine miſericordiæ tuæ introibo domum tuam; incurvabo me verſus templum ſanctitatis tuæ, in timore tuo. Jehovah, duc me in juſtitia tua; dirige coram te viam meam. Deduc me per ſemitam mandatorum tuorum, quia tu es DEUS meus, & Dominus ſalutis meæ. Dilexi habitaculum domus tuæ, & gaudeo intereſſe Eccleſiæ ſanctorum, laudantium te, & confidentium tibi. Quam amabilia tabernacula tua, Jehovah exercituũ! Concupiſcit & deficit anima mea ad





Cur ego desperem? video meliora reposta:
in verbo monstras hæc mihi, CHRISTE, Tuo.

Meine stedt ist schon bereit
in den Himmel oben,
Da ich wil in Ewigkeit
dich, Herr Jesu, loben.

ad atria Jehovæ. Venite, proſternamur & incurvemus nos: genu flectamus coram Jehovah, factore noſtro: quia ipſe eſt Deus noſter, & nos populus ejus, ac oves paſcuæ ejus. Exaltate Jehovam, Deum noſtrum, & incurvate vos ſcabello pedum ejus, quia ſanctus eſt. At ego orationem meam ad te converto, Jehovah, tempore beneplaciti tui, Deus, propter multitudinem miſericordiæ tuæ exaudi me, propter veritatem ſalutis tuæ, Amen.

INVOCATIO AD DEUM PRO SPIRITU ET GRATIA RECTE ET VERE ORANDI.

ÆTerne, miſericors DEUS, cum non noverimus, quid & quantum oremus, ut oportet; Tu autem infinita cum redundantia facere potes omnia, ſuper ea, quæ mente concipimus, aut petere poſſumus: Clamo igitur ad te, effunde ſuper nos, ſecundum promiſſionem tuam, Spiritum [illegible]iæ, & precum, qui inter[illegible]edat [illegible] nobis gemitibus inenar-

rabilibus; ut te ore & corde devoto, ſerio & ardenter invocemus, & holocauſtum laudis gratum tibi offeramus.

Domine, labia mea aperi, ut os meum annunciet laudem tuam. Excita mentem & animum meum, ut non ſaltem ore meo adpropinquem, & tantum labiis meis te honorem, cor autem procul a te abſit: ſed concede propitius, ut te quemadmodum veri adoratores, Spiritu & veritate adorem, cum intima cordis attentione, ſine hypocryſi, & ambitione. Et ut nihil à te petam, quam quod divinæ tuæ voluntati, laudi & gloriæ tuæ, nec non animæ meæ ſaluti conveniat.

Largire etiam, ut quicquid à te petiero, firma fide & certa fiducia, à bonitate tua propitia me impetraturum, indubitanter ſperem: nec tibi tempus, modum aut terminum auxilii & exauditionis præſcribam; ſed clementi voluntati tuæ, quæ ſemper eſt optima, in rebus omnib[illegible] firma

ſpe-

ſpe & patientia, me totum in humilitate cordis ſubjiciam.

Adhæc tribue nobis gratiam, ne in conſpectu tuo proſternamus deprecationes noſtras in juſtificationibus noſtris, ſed in miſerationibus tuis multis, & in nomine Jeſu Chriſti Filii tui, per quem cum fiducia accedimus ad thronum gratiæ, & filiorum adfectu, clamemus, Abba Pater.

Da nobis fortitudinem, ne indignitate vitæ noſtræ ab orando ſegneſcamus, nec deterreamur.

Succurre igitur, clementiſſime DEUS, ut in quovis loco attollamus manus ſanctas, absque ira & diſceptatione, & inſtanter apud nos fiant deprecationes, orationes, poſtulationes, gratiarum actiones, pro quibusvis hominibus, ut ſecundùm promiſſiones tuas propitias tam corporalia, quam cœleſtia bona accipiamus, Amen.

Pro vera fide.

DOmine, Deus omnipotens, Pater luminum, apud quem non transmutatio, aut conversionis obumbratio, à quo omnis donatio bona, & omne donum perfectum superne ad nos venit: rogo te, quoniam non omnium est fides, ut per Spiritum sanctum tuum veram agnitionem filii tui Jesu Christi in corde meo plantes & conserves, ac de die in diem uberiorem & auctiorem reddas, quo impleat omni agnitione voluntatis tuæ, cum omni sapientia & intelligentia spirituali; ut incedam sicut Domino dignum est, ut per omnia placeam, omni opere bono fructum ferens & crescens in agnitione DEI omni robore corroboratus, secundum gloriosam vim ejus, ad omnem tolerantiam & animi lenitatem cum gaudio.

Da mihi virtutem pro divite gloria tua, fortiter corroborari per Spiritum

tum tuum in interiori homine, ut inhabitet Christus per fidem in corde meo. O bone DEUS, quoniam nemo Filium tuum novit, nisi tu solus Pater; neque te Patrem quisquam novit, nisi ille idem Filius tuus, & cuicunque voluerit revelare: propterea te oro, trahe me ad ipsum, & ipse me perducat ad te. Da mihi scientiam salutis per remissionem peccatorum. Succurre, quæso, infirmæ fidei meæ, quæ grano sinapis minor est, ut illa indies succrescens augmentum adsumat, & ego in te radices agam, superstructus, ad hæc firmus & immobilis subsistam.

O piissime DEUS, qui scintillam fidei in nobis accendisti, & in nobis opus bonum cœpisti: ad te clamo, ut perficias quoque usque ad finem, quo magis atque magis redundemus in cognitione omnique judicio, ut simus sinceri, ac inoffenso cursu pergamus ad diem usque Christi, pleni fructibus justitiæ, in laudem & glo-

riam ejus. Confirma quod operatus es in nobis, ô DEUS, ne ſub cruce & tentationibus fides mea decreſcat.

Confirma me in vera & Chriſtiana confeſſione, ut præfixum ſalutis ſcopum adprehendam. Protege me, DEUS meus, ne inter tot errores, ſchiſmata & hæreſes hujus ſeculi ſeducar. Cuſtodi me à ſuperſtitione & omni impio cultu, ne in aliquo articulo fidei errorem committam ſive dubitem.

Adhæc quoque gratiam largire tuam, ne eadem fides mea mortua, operibus nuda, ſive infirma inveniatur, ſed efficax & operibus adornata, & per charitatem operans, ut finem fidei reportem, nempe ſalutem animæ meæ, Amen.

Benedictio Matutina die Solis.

DOmine, Pater cœleſtis, æterne DEus, benedicta ſit majeſtas & omni-

omnipotentia tua divina, laudetur infinita bonitas & misericordia tua; celebretur sapientia tua æterna & veritas; quod me hac nocte manu tua protexisti, & sub umbra alarum tuarum secure quiescere & dormire dignatus est: tum etiam quod contra hostem infensum, & ab omnibus imposturis atque insidii ejus me custodire & paterne defendere voluisti. Propterea laudo te propter mirabilia tua, quæ filiis hominum fecisti, & celebrabo nomen tuum in Ecclesia: laus tua semper in ore meo erit; benedicat anima mea Domino, & omnia interiora mea nomini sanctitatis ejus, & nunquam obliviscar beneficiorum tuorum, quæ mihi præstitisti.

Placeat ergo tibi nunc hostia oris mei, quam tibi mane in simplicitate cordis mei offero, ex intimo cordis adfectu invoco te, digneris me hac die ab omni periculo corporis & animæ defendere, & Angelis tuis de me

mandare, ut custodiant me in omnibus viis meis.

Circumda me clypeo tuo, & deduc me in semitam mandatorum tuorum, ut innocens ambulem, tibi serviendo, tanquam filius lucis, secundum beneplacitum tuum. Arce hostem malum, & omnia hujus mundi scandala repelle. Carnem quoque & sanguinem meum compesce, ne captus ipsorum malitia graviter contra te delinquam, & te peccatis meis offendam.

Rege me Spiritu tuo sancto, ut nihil aliud proponam, faciam, loquar aut cogitem, quam quod tibi placeat, & in honorem divinæ tuæ Majestatis cedat.

Ecce, bone DEUS, totum me tibi & voluntati tuæ, corpore & anima, cunctis corporis & animæ viribus, tam internis, quam externis, hodie offero & consecro. Effice, ut sim & maneam tibi hostia viva, sancta & acce-

accepta; ut cultum rationalem & gratum tibi præſtare poſſim.

Itaque ſancte Pater, omnipotens DEUS, fac, ut ſim tua ſola poſſeſſio. Guberna cor, mentem & animum meum, ut nihil aliud, præter te, ſciam & intelligam. Jehovah, mane audias vocem meam; mane præparabo tibi orationem & ſpeculabor, mane laudabo te, & veſperi non deſiſtam, per JESUM CHRISTUM, Filium tuum, Dominum noſtrum, Amen.

Benedictio Veſpertina die Solis.

ÆTerne DEUS, miſericors Pater, elevo manus meas, ut ſacrificium veſpertinum in conſpectu tuo, te laudo, te adoro, tibi gratias ago, quod me hac die & omni tempore vitæ meæ, ab omni malo ac pericolo, per Angelorum tuorum cuſtodiam, contra inſidias Satanæ clementer protexiſti.

Oro te, ut velis mihi condonare omnia peccata mea, quæ injuste perpetravi, velisque me hac nocte Angelis tuis circumdare, ut mihi adsistentes instar propugnaculi me muniant; ut eo facilius retia fallacia & latentes Satanæ insidias effugere possim.

Fac, ut ego, manuum tuarum opus miserum, bonitati & misericordiæ tuæ commendatus sim. Custodi me extenso brachio tuo. Nam ex intimo cordis adfectu nocte te desidero: adhæc spiritu meo semper ad te vigilo.

Exspecto bonitatem tuam, & anima mea sperat in te, DEUM vivum. Tu enim es Salvator meus & refugium meum.

Ecce Domine, sive vegilamus, sive dormimus, tui sumus: sive vivimus, sive morimur, tu noster DEUS es, qui creavit nos.

Ad te igitur clamo, ne procul à me sit gratia tua, protege me scuto tuo.

Con-

Conserva me, ut in pace quiescam; placide dormiam, & rursum sanus evigilem.

Absconde me in tabernaculo tuo in die malo: absconde me in abscondito tabernaculi tui, & exalta me in petra: non timebo mihi mala. Nam etsi ambulavero per vallem umbræ mortis, non timebo malum, quoniam tu mecum es: virga tua & baculus tuus, ipsa consolantur me. Concede mihi gratiam tuam, ut dormiente corpore anima mea semper ad te vigilet; ut te semper in corde meo habeam, & nunquam ex animo meo elabaris. Conserva me à malis & turpibus insomniis, à vigiliis inquietis, á curis inutilibus, à noxiis & gravibus cogitationibus, & tandem ab omni anxietate.

Ecce DEUS meus, clementissimæ protectioni tuæ commendo corpus & animam, charissimos parentes, fratres & sorores, & omnes, qui mihi aut consanguinitate, aut adfinitate

conjuncti ſunt. Extende ſuper nos manus tuas, & bonitate tua hac nocte nos protege; circumda nos undique gratia tua, ſuppone nobis miſericordiam tuam, ut anima & corpore defendamur, per JESUM CHRISTUM, Dominum noſtrum, Amen.

Benedictio Matutina die Lunæ.

LAudo te, mi Pater cœleſtis, & exaltabo nomen tuum in ſeculum ſeculi: benedicam te in omni tempore, ſemper laus tua in ore meo: in te laudabitur anima mea, quod me gratia & miſericordia tua magna, hac nocte, ab omni malo ac periculo corporis & animæ conſervaſti, & contra adverſarium meum ſatanam paterne cuſtodiviſti. Nam ſi tu ſcutum & auxilium meum non fuiſſes, infinita mala me perdidiſſent, quo minus ſanus reſurrexiſſem.

Merito igitur tibi gratias ago, pro clementi tua protectione.

Por-

Porro ad te clamo ex intimo cordis mei adfectu, oratio mea mane prævenit te, mane quæro te, & obſecro, ut me & omnia, quæ ad me pertinent, hodie ab inſidiis & omnibus malis defendere velis. Præveni me, hac matutina hora, gratia tua, quandoquidem te ſine nihil præſtare poſſum.

Adjuva me, ut hodierno die omnia opera mea in nomine tuo religioſe incipiam, & pie perficiam, in honorem majeſtatis tuæ divinæ, & ad utilitatem proximi. Cuſtodi animam meam, intellectum, rationem, ſenſus & cogitationes meas, omnia denium opera mea, dicta & facta, ne ſceleſtus ille diabolus mihi obeſſe valeat.

Protege me à peſte, quæ vaſtat in meridie: defende me ab omnibus inimicis meis, tam viſibilibus, quam inviſibilibus, ne inſidiis & malitiis ſuis, incantationibus & veneficiis, neve potentia atque nequitia ſua, ſive clam, ſive aperte, mihi obeſſe & nocere valeant.

Domine DEUS Pater, & Domine vitæ meæ, conſerva me quoque a quocunque immodeſto adſpectu, & averte à me concupiſcentias pravas. Fac, quæſo, ne me comprehendat appetitus commeſſationum aut incontinentiæ, nec animæ impudenti permittas me. Largire precor, ut ex gratia tua oculum, qui me offendit, eruam, & à me objiciam, amovendo noxias & impuras concupiſcentias cordis. Aufer à me, quicquid tibi diſplicere, & mihi abeſſe poterit; tribue vero mihi, quod tibi acceptum, & mihi utile erit, ut tibi vera fide ſerviam. En DEUS fidelis, offero & dedico me tibi hodie totum, ut ſecundum voluntatem tuam vivam. Effice me tibi acceptam hoſtiam, ut acceptum ſit tibi ſervitium meum in JESU CHRISTO, Domino noſtro, Amen.

Benedictio Vespertina die Lunæ.

FOrtis & vive DEUS, Pater Domini nostri JESU Christi, gratias tibi ago, qui me hoc die per divinam tuam protectionem, ab omnibus malis ac periculis clementer custodivisti, quod nec in periculum ignis inciderim, nec aquarum undis submersus, nec ferarum sævitia decerptus, nec gladii acie percussus fuerim: quod etiam hostes me non interemerint: nec homines malitiosi vulnerarint; quod nec fures, nec raptores me occiderint, aut aliquid mali mihi intulerint. Adhæc quod nec lapsu aliquo gravi extinctus, aut inopinanter impingens, aut aliis quibuscunque modis læsus fuerim: Et, ut unico verbo comprehendam, quod nec in corporis nec vitæ periculum ullum inciderim: Hoc totum divinæ tuæ misericordiæ acceptum fero, qui solus in omnibus viis ac semitis meis

 me

me protegis. Oro præterea, ut mihi remittere velis omnia mea peccata, quæ contra te commiſi, & me una cum cognatis & domeſticis omnibus, hac nocte & poſthac omnibus diebus vitæ noſtræ clementer conſervare velis, ab omni anguſtia atque offenſione, ab inſidiis & fallaciis ſatanæ, quibus nos noctesque diesque illaqueare conatur.

Protege nos à peſte nociva, quæ in caligine ambulat, à gravibus infirmitatibus & doloribus, à metu & terrore ſatanæ, ab omni denique tam corporis, quam animæ periculo: quia tu præſidium mei potens, firmamentum validum, tegumentum ab æſtu, umbraculum à meridie & offenſione tuitio, & in ruina auxilium.

Proptere a, fidelis DEus, ſis ſpeculator noſter, protectione tua nos circumda, ne callidus dæmon nobis obeſſe valeat. Nam in te ſolo ſalus noſtra eſt; ad te ſolum levo oculos meos, unde veniet

niet auxilium meum. Auxilium meum à Domino, qui facit cœlum & terram. Ecce ſicut oculi ſervorum intenti ſunt ad manum Dominorum ſuorum; ſicut oculi ancillæ ad manum Dominæ ſuæ : Ita oculi noſtri ad Jehovam, DEUM noſtrum, donec miſereatur noſtri. Miſerere noſtri, Jehovah, miſerere noſtri, quia pauperes ſumus & egeni. Leva ſuper me lumen vultus tui, Domine, & illumina oculos meos, ne forte obdormiam in morte, qui vivis & regnas in ſeculum ſeculorum, Amen.

Benedictio Matutina die Martis.

BEnedictus DEUS, Creator cœli & terræ! Benedictus Jehovah, qui facit mirabilia ſolus ; & benedictum nomen gloriæ ejus in ſeculum! qui diem & noctem ſapientia ſua divina creavit & diviſit ; Adhæc conſtituit, ut donec terra erit, nox & dies non ceſſarent, quo homini nocturno tempore

pore quiescere , diurno autem laborare liceat.

Quam multiplicata & magnificata sunt opera tua, Domine ! omnia ipsa in sapientia fecisti : impleta est terra possessionibus tuis. Pro his beneficiis Solem ad gratias tibi agendas prævenire oportet, atque te sub lucis ortum salutare : itaque te nunc quoque laudo, quod hac nocte me secure quiescere & dormire, & rursus lætum & sanum excitare, nec non contra omnem hostis potentiam ac malitiam paterne defendere volueris.

Obsecro te, ut animam meam in manus tuas includere, corpus meum, pro beneplacito tuo, sanum conservare , & me ab omnibus malis ac periculis custodire velis.

O misericors DEUS , cum tempestivum jam sit, nos à somno paccatorum & omnis injustitiæ expergisci, quandoquidem salus nostra jam proxima est : succurre igitur , ut abjicia-

mus

mus opera tenebrarum, & induamur habitu, qui luci conveniat, ut interdiu composite ambulemus, non in commessationibus & ebrietatibus, non cubilibus ac proterviis, non lite & invidia: sed induamur Domino JEsuChristo, in vera fide, & Christiana conversatione.

Quotidie itaque me excita: excita mihi aurem ad audiendum corde credulo verbum tuum sanctissimum, ut illud memoria firma retineã, & ut aurem meã ad clamorem & gemitus pauperum & afflictorum inclinem, ne eos in tribulatione deseram; & cum in die angustiæ meæ ad te clamavero, ausculta orationem meam, intende voci deprecationũ mearũ, & gemitus meos in extrema necessitate noli despicere.

Mane præveniat te oratio mea, inclina aurem tuam ad clamores meos. Satura nos mane misericordia tua, & exultabimus & lætabimur in te omnibus diebus nostris: pereun-

eundem Filium tuum dilectum JESUM CHRISTUM, Dominum nostrum, qui tecum & Spiritu Sancto vivit & regnat in secula seculorum, Amen.

Benedictio Vespertina.

DOmine, misericors DEUS, sancte Pater, in die clamo coram te voce mea, in angustia mea invoco te, & vesperi recordor bonitatis ac misericordiæ tuæ, quam præstitisti mihi: jam vero, quod maximum est, laudo te, qui me ex sola gratia & misericordia, sine ullis meis meritis, aut ulla dignitate, elapso hoc die ab innumeris damnis ac periculis, quæ me potuissent invadere, tam paterne custodivisti; quod Satan subitanea aut improvisa morte me non interemerit; quod tempestate aliqua, grandine aut fulgure, non sum perterritus; quod turbines sævientes mihi non obfuerint, & quod hostis malitio-

malitiosus in esu ac potu, veneno aut aliis suis mille artibus, me non perdiderit: quod nullum etiam brachium aut pedem lapsu aliquo fregerim.

Propterea jam tibi & omni tempore gratias ago maximas, & oro propter amaram passionem JESU CHRISTI, ut velis mihi condonare omnes iniquitates, quas hodie contra te perpetravi; velisque me futura nocte clementer defendere, contra adversarium meum diabolum, contra pavorem & terrorem noctis, ne larvæ mœsto aspectu tristes mihi illudant aut noceant.

Conserva me cum omnibus, quæcunque possideo, ab aquæ ignisque periculo, ab omni corporis & animæ malo. Concedas, me placide absque omni cura atque angore obdormire, ut & in tenebris lucem splendoris tui divini super me lucentem oculis cordis mei videam. Tu enim lux illa vera es & clara, quæ cunctas

te-

tenebras, quæ circumdederunt nos, illuminat.

Tu, Domine Deus, mecum es, tu petra mea, & arx mea, liberator & adjutor meus, in quo ſperabo, ſcutum meum, & cornu ſalutis meæ, & ſuſceptor meus. Domine, Deus meus, nocte expando ad te manus meas, velociter exaudi me, & protege me hac nocte, ne ſpiritus meus in peccatis obdormiat, & corpori meo aliquid mali contingat. Excita me convenienti & opportuno tempore, ut lucem craſtini diei, pro clementi voluntate tua, rurſum vivus aſpiciam. Tu enim ſolus vitam meam ſervare, & mihi omni benedictione ſpirituali benedicere potes, in JESU Chriſto, Domino noſtro, Amen.

Benedictio Matutina die Mercurii.

OMnipotens, miſericors DEUS, cum tibi ſerviat univerſum opifici-

ficium tuum, & omnes creaturæ ſine intermiſſione te laudent ac celebrent, quod etiam aviculæ ſub cœlo præſtant, quæ mane exorto Sole, quam ſuaviſſime linguis & vocibus ſuis te, æternum DEUM & Creatorem ſuum, laudant: Et ego jam tibi ex intimo corde gratias ago, quod me præterita nocte, & toto vitæ meæ tempore, ſub protectione, & tutela, in præſentem usque horam conſervare, ex ſomno & tenebris hujus noctis excitare, atque hilarem & ſanum reſurgere voluſti.

Oro te per ſalutarem reſurrectionem JESU Chriſti ex mortuis, ut in poſterum quoque me conſervare velis ab omni malo ac periculo, una cum omnibus iis, qui mihi adfinitate, aut quacunque ratione juncti ſunt: adhæc matutina hac hora miſericordia tua replere me digneris, ut cum gaudio hodiernum diem in mandatis tuis, absque omni mortali peccato, tranſigam.

Ex-

Exhibe mihi gratiam tuam, ut ſicut nubes aquoſa ſub aurora, & ros matutinus, ſeſe extendunt, & terram humectant: Sic bonitatem tuam ſuper me extendere & animum languidum mihi reficere digneris, ut promtus & alacer voluntati tuæ ſatisfaciam.

Guberna me Spiritu Sancto tuo, ut tibi puro corde inſervire queam, cum juſtitia & ſanctitate, coram te, cunctos dies vítæ meæ.

Cuſtodi me, Domine, ne hoc die aliquod peccatum contra te admittam aut conſcientiam meam carnis cupiditatibus, quæ militant adverſus animam, polluam. Cuſtodi etiam linguam meam à malo, & labia mea, ne loquantur dolum ſive mendacium: Obſcœnitates & ſtultiloquia, quæ non conveniunt Chriſtianis, procul ſint à me.

Præſta auxilium, ne labiis meis cuipiam ſim ſcandalo, aut aliquem traducam, judicem ſive damnem, nec quo-

quoque aliquem objurgem, aut convitiis diffamem. Quis adponat ori meo custodiam, labiisve meis sigillum prudentiæ? ne subito his corruam, nec lingua mea perdat me?

Concede mihi gratiam, obsecro, ut ego ipse defectus meos agnosam & corrigam, ne in severam tuam sententiam & judicium horrendum incidam. Hæc mihi, æterne DEUS, largire, per JEsum Christum, Filium tuum dilectum, Amen.

Benedictio Vespertina.

O Sancta Trinitas, in una eademque divina essentia, tu vita es mihi, salus & perpetua consolatio, gratias tibi ago, ore & corde, quod me per hunc diem clementer tutatus es.

Oro divinam bonitatem tuam, ut omnes iniquitates meas tegere velis, maxime vero quicquid hodie contra te & contra sancta præcepta tua, lingua mea, inutilibus & futilibus verbis,

bis, detractione aut alio quocunque modo peccavi: velisque me hac futura nocte quoque conservare ab omni damno & periculo.

Quia in te solum confido, tu Dominus meus es, & Deus meus: in manus tuas commendo corpus & animam meam.

Benedicat igitur nunc me divina majestas; protegat me sancta Trinitas; conservet me sempiterna unitas; tueatur me immensa misericordia; defendat me ineffabilis clementia, lætificet me infinita dulcedo; contegat me suprema veritas DEI; confirmet me profunda cognitio JEsu Christi, custodiat me ineffabilis bonitas Domini!

Gratia Patris regat me; Sapientia Filii reficiat me; Virtus Spiritus Sancti illuminet me! Creator meus succurre mihi: Redemtor meus adjuva me: Consolator meus fer mihi opem.

Bene-

Benedicat mihi Jehovah & custodiat me; Lucere faciat Jehovah faciem suam super me, & misereatur mei. Attollat Jehovah faciem suam ad me, & det mihi pacem!

Hæc protectio, & hæc invocatio unius & sempiternæ Deitatis sit hodie, & nunc & semper inter me & omnes inimicos meos, visibiles & invisibiles, ne ad me accedere, me occidere, vel lædere valeant; quemadmodum columna nubis in deserto stetit inter castra Ægyptiorum, & castra filiorum Israel, nec adpropinquavit alter alteri, quo minus aliquid mali filiis Israel evenire posset: ita inter me & omnes inimicos meos murus igneus & interstitium esse velis, ne adpropinquent inimici mei ad lædendum me.

Conserva me etiam in ultima hora vitæ meæ, tunc quando oculi mei non videbunt, aures non audient, nec lingua amplius loquetur; quando etiam manus nihil adprehendere, & pedes

des non amplius incedere póterunt, tunc mihi ſuccurre, benedicta Trinitas Sancta, ne ſatanas aliquid poteſtatis in me inveniat, Amen.

Benedictio Matutina die Jovis.


DOmine JESU Chriſte, qui es vera & æterna lux, quæ repellit noctis tenebras & umbram mortis, laudabo nomen tuum, tibi pſalmum dicam & gratias agam, quod me hac nocte tam clementer protexiſti, & ex tenebris ad lucem hanc deduxiſti, Cuſtodiviſti me à timore noctis, & terrore & ſpectris diaboli, à peſte, quæ in caligine ambulat, à variis morbis & infirmitatibus, quæ mihi obvenire potuiſſent.

Scuto etiam tuo animam meam circumdediſti & protexiſti, ſicut paſtor gregem ſuum protegit & paſcit. Adhæc omnia, quæcunque poſſideo, illæ-



Vulnera contemplor, stillatia sanguine serta:
quantum CHRISTE, tui pignus amoris adest.

Ich Herr Jesu das dein hohn dornen Cranz und schläge
Mir trost geb. und solche Cron in mein hertz einprege.



illæſa conſervata ſunt per magnam miſericordiam tuam.

Pro hac clementia & protectione, & omnibus beneficiis tuis, ſit tibi laus, honor & gloria.

De fortitudine tua cantabo, & laudabo mane miſericordiam tuam; tu enim refugium es & virtus mea, fortitudo mea, et fidelis DEUS, in quem confido. Tu dediſti mihi lætitiam in corde meo, & lætificaſti faciem meam.

Oro te per ſanctam incarnationem & nativitatem tuam, ut ſinas hoc die ſuper me miſericordiam tuam oriri, quæ procedat tanquam aurora lætificans, & ad me veniat, tanquam pluvia matutina.

Illumina cæcam meam naturam, & cor obtenebratum ſplendore tuo, ut in corde meo exoriatur Lucifer ille verus, & vera lux, quæ homines illuminat ad vitam æternam.

Protoge me quoque hodie ab omni malo, miſerere mei, Jehova, quia te ex-

ſpecto: Eſto brachium meum in matutinis, ſalus etiam mea in tempore anguſtiæ.

Defende corpus & animam meam, ne accidat mihi malum aliquod, neque plaga mihi appropinquet.

Omnes Spiritus noxios à me procul repelle: fer mihi opem contra ſceleſtos. DEUS in adjutorium meum intende adverſus maleficos, & ad auxilium meum feſtina: quia anima mea expectat te à vigilia matutina usque ad aliam vigiliam matutinam.

O Domine DEUS noſter, opus manuum noſtrarum dirige ſuper nos, opus, inquam, manuum noſtrarum dirige, & brachium noſtrum confirma; digitos quoque noſtros doce mandata tua obſervare, ne hodie contra te peccemus. Hæc omnia propter miſericordiam tuam concede, Amen.

Benedictio Vespertina.

BEnedictus DEUS ac PaterDomini nostri JESU Christi,in Spiritu Sancto, unus & æternus DEUS,qui multiplici sua misericordia, me miserum peccatorem, & hominem egenum, hodierno die clementer defendit, ab omnibus ignitis sagittis Satanæ, volantibus per diem; à peste, quæ vastat meridie; subitanea & improvisa morte, & ab omnibus malis paterne custodivit.

Bone DEus,quam magna est supra cœlos bonitas & misericordia tua, & usque ad nubes veritas tua! Oro te, DEum munificum, ut ex gratia mihi condonare velis, quicquid contra te, tam operibus, quam verbis sive cogitationibus perpetravi. Misericordiam quoque tuam largiri mihi velis, & me futura hac nocte obdormire & quiescere sinas, ut te, qui es æterna requies, nunquam nec in omnem æ-

ternitatem relinquam, sed in te maneam per fidem, & sub protectione tua securus habitem, ne malignus hostis ad me adpropinquare, & damni aliquid mihi inferre valeat.

Jehovah, lux mea & salus mea, à quo timebo? Jehovah, fortitudo vitæ meæ, à quo pavebo? In te confidit cor meum, & adjutus sum. Tu firmamentum meum es & potens præsidium, dextera tua roborat me, dextera tua consolatur me, & sub umbraculo brachiorum tuorum refugium meum est.

Ecce mi DEUS, clamo per diem & respondes mihi, et nocte non sileo attamen exaudis me. In cubilibus meis recordor tui, & in vigiliis meditor de te: quia fuisti mihi auxilium, & in umbra alarum tuarum exulto. Adhæsit anima mea tibi, dextera tua sustentat me.

O benigne DEUS, gratiam mihi concede, quæso, ut si extrema hora vi-

vitæ meæ adpropinquabit, & ego me in lecto mortis ad ſempiternam requiem componam, ut fretus auxilio tuo, in vera & firma fide, conſtans & intrepidus, pie & ad æternam vitam obdormiam.

Interea conſerva me, ut ſemper vigilem, ſobrie & compoſite vivam, & paratus in Chriſtiana pietate inveniar; quandoquidem plane ignoro, qua hora tu, DEus noſter, veniens, me hinc avocabis. Hæc largire mihi, quæſo, per JESum Chriſtum, Dominum noſtrum, Amen.

Benedictio Matutina die Veneris.

BEnedictus ſit DEUS, Creator meus, benedictus ſit DEUS ſalutaris meus, benedictus ſit DEUS, ſumma conſolatio mea; qui dat mihi ſanitatem, vitam & proſperitatem; qui protector & auxiliator meus eſt;

qui me in corpore & anima, secundum magnam & infinitam misericordiam suam, hac præterita nocte, à variis satanæ incommodis defendit, & salvum ad hodiernum diem resurgere voluit.

Oro te, mi Pater cœlestis, per sanguineum sudorem Filii tui dilecti JESU Christi, digneris & me hodie in divinam protectionem tuam recipere, me tueri atque custodire, tam interne, quã externe, ne quid mali mihi eveniat. Quia in manus tuas hodie & omnibus diebus vitæ meæ commendo animam meam indigentem, corpus meum infirmum, sensus meos, mentem, intellectum & consilia mea. Adhæc omnes cogitationes meas, verba & opera, dicta & facta, introitum meum, & exitum meum, me ambulantem & stantem, me sedentem & cubantem, meam voluntatem & consilia, meas imaginationes & postulationes, fidem & confessionem, & quicquid tam exter-

ternis, quam internis viribus ſum & valeo; finem vitæ meæ, diem & horam mortis, mortem & reſurrectionem meam.

O Domine DEus, tu mecum agito ſicuti vis & noſti, quicquid in honorem nominis tui & animæ meæ ſalutem cedere poterit.

Et ſi forte contra te ex infirmitate peccaverim, obſecro te, ne recedat à me miſericordia tua, neve gratia tua declinet à me, & ne ſubtrahas mihi auxilium tuum.

Nam præter te non eſt DEUS, neque Servator, ante te non eſt formatus alius, neque poſt te alius erit. Tu, inquam, primus & noviſſimus, & præter te non eſt DEus. Itaque te ſolum invoco, præſto ſit mihi bonitas tua.

Fac me audire manè miſericordiam tuam, quia in te ſpero. Deduc pedes meos per ſemitas juſtitiæ, ne ambulem in conſilio impiorum, nec in via peccatorum ſtem, nec in Cathedra deriſorum ſedeam: ſed ut in ver-

bo & lege tua totius cordis mei voluntas & beneplacitum sit, & in ea mediter die ac nocte, per Dominum nostrum JESUM Christum, qui tecum & cum Spiritu S. vivit & regnat in secula seculorum, Amen.

Benedictio Vespertina.

BEnedictus Jehovah, qui facit mirabilia solus, & benedictum nomen gloriæ ejus in seculum, & repleatur gloria ejus universa terra. Celebrabo nomen DEI per singulos dies, & vesperi semper laus ejus erit in ore meo. Nam cum clamavero, exaudit me: cum deprecatus fuero ipsum, inclinat ad me aures suas: & cum oravero, ad vocem meam intendit. Dominus mihi protectio & fortitudo, auxilium in angustiis invenimus abunde.

Quapropter æterne Deus, tibi laudem & gloriam dico, quod me hoc die paterne defendisti ab omni damno & pe-

periculo,quæ mihi accidere potuisſent. Cor meum exultat,& anima mea laudat te propter bonitatem & miſericordiam tuam. Loquetur lingua mea eloquium tuum, & dicat ſemper: magnificetur Dominus, denedictum ſit nomen ejus ſanctum.

Oro te,ut velis mihi hodie,quicquid contra te peccavi, ex clementia remittere,& me, adventante nocte, cum omnibus, quæ ad me pertinent, protegere.

Jehovah,cuſtodi me, Iehovah umbra mea ſtans ſuper manum dexteram meam:Cuſtodi me ab omni malo; cuſtodi animam meam. Miſerere mei, quoniam in te ſperat anima mea: ſpero in Dominum, & clamo ad DEUM altiſſimum, qui finiet miſerias meas. Ecce non dormitabit,qui cuſtodit me: Ecce non dormitabit, neque dormiet, qui cuſtodit Iſrael. Suſtentabis greſſus meos, in viis rectis, ne declinent pedes mei, neve veſtigia mea movean-

veantur. Pedes meos à lapſu eripiet; quia lucerna pedi meo verbum ſuum, & lumen ſemitæ meæ.

Quapropter ſi lecto incumbam, non timebo, ſed ſuaviter dormiam neque formidabo ſubitos terrores, neque turbines impiorum, ſi qui forte irruere conantur.

O Domine Deus, eleva ſuper me lucem vultus tui, ut accubem & in pace pariter dormiam: quia tu Jehovah ſolus confidenter habitare me facies ſub protectione tua: Tu Domine ſolus adjuvas me. In nomine tuo adſcendam ſuper lectum ſtrati mei, dabo ſomnum oculis meis & palpebris meis dormitationem. Tu Domine Deus alacrem me reſuſcitabis, in laudem & gloriam divinæ majeſtatis tuæ, per JEſum Chriſtum, Filium tuum dilectum, Dominum noſtrum, qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritus Sancti, in ſecula ſeculorum, Amen.

Be-

Benedictio Matutina die Saturni.

VEre & immortalis DEus, Pater Domini nostri JESU Christi, ad te elevo animum meum, debita gratiarum actione: tuam justitiam non abscondam in corde meo, veritatem & salutem tuam dicam. Non celabo misericordiam tuam, & veritatem tuam in cœtu multo, & omnia bona, quæ fecisti mihi, non tacebo. Quoniam bonum est celebrare Jehovam, & psallere nomini tuo, Altissime; annunciare mane misericordiam tuam, & veritatem tuam in noctibus.

Propterea laudat te anima mea, quod hac nocte per superabundantem misericordiam tuam me protexisti. Benedictus es Jehovah, DEUS exercituum, qui clementem te præbes omnibus, qui quærunt te & salutem tuam diligunt.

Be-

Benedictum sit nomen tuum magnum in omni terra, quod protectio atque adjutorium nobis est. Benedicta sint omnia opera tua, quæ filiis hominum præstitisti. Oro te, ut velis me hac die quoque conservare, ne satanas aliquid damni mihi inferat, & manus impiorum mihi noceat.

Domine DEUS, Salutare meum, mane te quæro, mane oratio mea prævenit te, da mihi, ut opera vocationis meæ, & quicquid mihi demandatum est, diligenter & fideliter expediam, ad nominis tui laudem, ad proximi emendationem, ne hujus diei luce ad peccandum abutar, neve te vel dictis vel factis offendam, & sancti Baptismatis mei fœdus violem.

Concede quoque mihi gratiam, ut fugiam sex ista, quæ tu odio habes, & septimum, quod abominationi est animæ tuæ, nimirum oculos sublimes, linguas mendaces, manus effun-

effundentes ſanguinem innocentis, cor, quod molitur cogitationes iniquas, pedes feſtinantes, ut currant ad malum, teſtem mendacem, qui loquitur mendacia, & immittentem jurgia inter fratres. Ab his & ſimilibus delictis protege me, DEUS meus, & gratiam clementer largire, ut omnia mea opera & vita tibi placeat, in JESU CHRISTO, Filio tuo dilecto, Domino noſtro, qui tecum vivit & regnat, in unitate Spiritus Sancti, in ſecula ſeculorum, Amen.

Benedictio Veſpertina.

LAus tibi ſit ſummo & immortali DEO! laus ſit bonitati, clementiæ & miſericordiæ tuæ! Laus ſit æternæ ſapientiæ & veritati tuæ, qui me hodierno die ab omni detrimento & malo protexiſti.

Oro te, ut velis bonitatem tuam, cujus in me initium feciſti, clementer perficere, & me hac quoque nocte

quiescere sinas sub abscondito Altissimi, meque alis tuis regere velis.

Sit refugium meum sub umbra brachiorum tuorum, ne mihi malum timeam.

Custodi me, DEus meus, ut nigrum pupillæ oculi, in umbra alarum tuarum absconde me. Jehovah, tu es pars portionis meæ: in manibus tuis salus mea est. Adjuva me per bonitatem tuam, ne timor & tremor super me veniant, neve noctis timor me operiat.

Miserere mei, quoniam in te confidit anima mea, & sub umbra alarum tuarum sperabo.

In die angustiæ meæ Dominum quæro: manus mea noctu ad eum expansa est, nec quiescit, renuit consolari anima mea, neque etiam alium auxiliatorem scio, in cœlo & in terra, nisi te solum.

Media nocte surgo, & recordor nominis tui, quod tam suave est, & bonitatis ac veritatis tuæ, quam præstitisti mi-

mihi, & gratias ago tibi, pro justitia justificationis tuæ. In die tribulationis recordor Dei, & si angustiis adficitur cor meum, loquor de salutari meo. Quoniam eripit animam meam ab interitu, & a laqueis mortis liberat me.

Domine, Deus salutaris meus, noctesque diesque coram te clamo & invoco te, ut velis mihi condonare omnes iniquitates meas, quas præterita septimana & hodie contra te perpetravi. O Domine, libera animam meam propter misericordiam tuam: Tu clemens & justus es, & Deus noster miseretur: Custodit simplices Jehova, attenuatus eram, & me servavit.

Propterea gloriabor, exultabo & confitebor tibi in cubili meo. Itaque commendo in manus tuas corpus & animam meam, redemisti me, Domine, DEUS veritatis, per Jesum Christum, Dominum nostrum, Amen.

CONFESSIO PUBLICA.

DEus juſte, Pater miſericors, ego miſer & indignus homo confiteor, me non ſolum in peccatis conceptum & natum eſſe, ſed etiam totum vitæ meæ temp9 ab ineunte ætate, usq; ad horam præſentem, in multis & graviſſimis peccatis tranſegiſſe.

Non enim te, Dominum ac Deum meum, ex toto corde, ex tota anima, ex totis viribus & ex tota cogitatione mea dilexi ac timui, in te etiam ſuper omnia non ſum confiſus, nomen tuum ſanctum ex toto corde non invocavi neque laudavi: ſed eodem abuſus ſum blaſphemando, jurando, mentiendo & defraudando.

Concionem verbi tui ſancti ſæpius neglexi, contemſi, & juxra illam parum admodum vitam compoſui & emendavi. Parentibus chariſſimis, & ſuperioribus meis inobediens fui: ad-

adhæc proximum meum non dilexi ut meipſum: ſed odio eum ſum proſecutus, eum contemſi, offendi, detrimento ipſi fui,& ut alii ipſi damna inferrent, permiſi. In verbis & operibus levis & obſcœnus fui: in negotiis & actionibus meis quotidianis variis uſus ſum impoſturis contra charitatem proximi: proximum quoque meum falſis mendaciis involvi, prodidi, tradidi, & infamia quacunque affeci. Summa, malis cum delectatione irretitus fui. Superbus, avarus, libidinoſus, iracundus, luxurioſus, invidus & deſidioſus fui: Inſuper proximo ad peccandum incitamento & adjumento fui: & ita pactum & fœdus ſacratiſſimi Baptiſmatis mei transgreſſus ſum.

Et ſi quid unquam contra te peccavi, aut verbis, aut operibus, aut cogitationibus, clam vel aperte, omnia item delicta mea tam occulta, quam abſcondita, quorum tu, cordium ſcrutator, me reum agnoſcis, melius,

quam ego mihi ipsi conscius sum: Ea, inquam, omnia corde contrito & humiliato confiteor: imo inutilis sum servus, & peccavi in cœlum & coram te, neque amplius sum dignus vocari filius tuus, aut oculos meos ad te attollere.

Multis enim & gravissimis peccatis te vehementer offendi; animam meam miseram & conscientiam meam supra modum gravavi iniquitatibus perpetratis; quæ me premunt, & sicut onus grave graviores fuerunt me. Venio itaque gratiæ & misericordiæ tempore, & à rigida tua justitia ad infinitam misericordiam appello. O Domine Deus, propitius esto mihi misero peccatori, dimitte mihi peccata mea, in eorundem persolutionem accipe, obsecro, innocentem JEsu Christi, Filii tui dilecti, mortem, & mihi vitæ meæ emendationem concede, Amen.

ORA-

ORATIO ANTE COENAM DOMINICAM.

DOmine JEſu Chriſte, Dei æterne Fili, qui in vera humanitate tua pro nobis mortem paſſus, à peccatis, & damnatione æterna nos redemiſti. Et ut tantæ bonitatis tuæ nunquam obliviſceremur, in ultima Cœna tua ſempiternam memoriam fundaſti, novumque fœdus erexiſti, in quo credentium peccata oblivioni ſempiternæ traduntur, ubi conſtituiſti & legaſti verum corpus in pane edendum, & ſanguinem ſacroſanctum in vino bibendum, cum annexa promiſſione remiſſionis peccatorum. Nos miſeri ac ærumnoſi homines ad te, omnis gratiæ & miſericordiæ fontem, venimus, orantes, ut omnia peccata & iniquitamenta noſtra abluere, conſcientias noſtras purgare atque reficere velis, ut vera pœnitentia & contritione in vera ac firma fide, cum in-

intentione pia, & decenti reverentia, præparati ac digni, ſacroſanctum tuum corpus & ſanguinem ad ſalutem noſtram accipiamus. Adjuva nos, ut per hoc Teſtamenti Novi myſterium fides in nobis augeatur, ſpes corroboretur, charitas accendatur, conſcientia debilis conſolationem accipiat, omnis afflictio ſuperetur, ac in cordibus noſtris divinæ tuæ gratiæ & ſempiternæ redemtionis participes confirmemur, ac obſignemur, ita, ut ſupereminentem obtineamus gratiam, quæ in hoc abſcondita eſt ſacramento. O clementiſſime DEus, da nobis illuminatos oculos mentis noſtræ, ut cognoſcamus, quæ ſit ſpes illa hæreditatis noſtræ, & quænam ſint divitiæ Cœnæ tuæ magnificæ, in qua una cum corpore & ſanguine tuo nobis quoque communicas remiſſionem peccatorum, veram juſtitiam & omnia bona cœleſtia, ut ſæpius ex intimo cordis affectu, & deſiderio pio ſacramentum hoc di-

digni accipiamus, tuamque dulcedinem deguſtemus. Aufer à nobis, quicquid tibi diſplicet, aut quicquid nobis impedimento eſt, nosque à te avertit. Largire vero nobis, quicquid nos ad te convertit atque promovet, ut fructus hujus ſalutaris menſæ participes, animæ noſtræ eſurientes & ſitientes, hic cibum potumque conſequantur, & in futura vita pane & potu cœleſti tecum in omnia ſecula fruantur, Amen.

Gratiarum Actio poſt Cœnam Dominicam.

O JEſu Chriſte, vere ac æterne pontifex noſter, qui ſedes ad dextram throni majeſtatis illius cœleſtis, miniſter ſanctuarii ac veri illius tabernaculi non manu facti. Tu per proprium ſanguinem ingreſſus es ſemel in ſacrarium, æternam redemtionem nactus, ubi obtuliſti te ipſum inculpatum patri tuo dilecto,

purgare conſcientias noſtras à mortuis operibus, ad ſerviendum Deo vivo. Gratias agimus tibi ex toto corde, quod maledictum pro nobis factus mortem crucis ignominioſam, obedientia voluntaria erga Patrem tuum cœleſtem, ex ardore charitatis, & patientia ineffabili, innocens pro nobis miſeris peccatoribus paſſus es; adhæc quoque venerandum corporis & ſanguinis tui ſacramentum, in ſempiternam memoriam & recordationem divini favoris & benevolentiæ tuæ erga nos, nec non in pignus, ſigillum & confirmationem remiſſionis peccatorum nobis inſtituiſti, tum etiam, quod nos ad ſocietatem & communionem ejusdem vocare & venire dignatus es, & eſurientes ac ſitientes conſcientias noſtras ad vitam cibaſti & potaſti. O Domine Deus, quam magna eſt charitas tua, quam ineffabilis eſt miſericordia tua, quam imperſcrutabilis eſt gratia tua, quandoquidem neminem â Cœna hac

hac tremenda excludis, modo nemo seipsum ab ea separet, & se indignum reddat. Si ergo quis esuriens ac sitiens derelinquitur, is hic satiatur: si quis egestate & paupertate premitur, is hic consequitur omnes Thesauros & divitias vitæ: si quis angustiis & ærumnis afficitur, is hic requiem invenit: si quis male afficitur, aut valetudine adversa laborat, is hic pharmacum & animæ suæ sanitatem impetrat: si quis peccatis fatigatus & oneratus est, is hic refocilationem conscientiæ suæ reperit: si quis in morte est, is hic vitam æternam habet. Adjuva igitur nos, o bone DEus, ut sacrosanctum ad salutem nobis eveniat, & ut posthac confessionem fidei retinentes non declinemus. Fidelis enim es in promissionibus tuis. Adhæc ut etiam inter nos salutis nostræ curam mutuo geramus, ad charitatem & bona opera nos incitando, non deserentes congregationem nostram, sed nos invicem admonea-

neamus, idque eo magis, cum omnes videmus, diem judicii extremi & finem vitæ noſtræ appropinquare, ut læti exſpectemus tuum adventum, Amen.

PRO FELICI EX HAC VITA EXITU.

PIiſſime Deus, homini terminum vitæ conſtituiſti, quem præterire non poteſt: quia definiti ſunt dies, & numerus menſium ejus tecum eſt. Cunctos vitæ noſtræ dies numeraſti, qui tamen cito recedunt, inſtar torrentis & fluvii decurrentis, haud ſecus, quam ſi avolaremus. Defecerunt ſicut fumus, aut umbra, quæ velociter præterit, omnes dies noſtri. Omnis homo eſt ut gramen, quod cito exareſcit, & velut flos graminis, qui facile decidit. Fac igitur me ſcire, Jehovah, finem meum, & menſuram dierum meorum, quæ ſit, ut ſciam, quam temporalis ſum. Ecce

ut palmos posuisti dies meos, & ævum meum tanquam nihil coram te: profecto universa vanitas omnis homo stans.

Domine, scire fac nos, ut numeremus dies nostros, & civitatem manentem hic non habemus. Notum mihi fac per brevem & caducam vitam meam, ut in omnibus, quæ dicam, quæve faciam, meminerim extremorum meorum, ut in hoc mundo non mihi soli, sed tibi vivam & moriar, in fide alacris & hilaris, exspectans diem meæ ex hoc ergastulo emigrationis; & apparitionis Filii tui dilecti, Jesu Christi, ac paratus ad eam in sanctis conversationibus & pietatis officiis quasi festinem.

Largire quæso mihi exitum salutarem & felicem ex hac vita, ut adventante extrema hora mea, placide obdormiam, & in vera confessione, integro rationis usu, vitam finiam; ne mens & sensus debilitati, more delirantium, erumpant in voces blasphe-

mas, impias vel abſonas à profeſſione Chriſtiana, contra te Dominum meum, & contra ſalutem meam.

Cuſtodi me à ſubitanea & improviſa morte, & ab æterna damnatione: ne præter exſpectationem ſubito, extrema hora mea præventus, obruar; ſed ut vera converſione & vera fide paratus inveniar.

Et cum eadem extrema hora mea venerit, fortem & intrepidum me facito ad mortem temporalem perferendam, quæ mihi januam ad vitam æternam aperiet.

Et me ſervum tuum in pacem tandem dimitte, ſecundum verbum tuum.


Quia viderunt oculi mei ſalutem tuam, quam paraſti in oculis omnium populorum. Lumen ad revelationem gentium & gloriam populi tui Iſrael.

Da, ut verbum meum ultimum ſit illud, quod Filius tuus dilectus in ara crucis locutus eſt: Pater, in manus

nus tuas commendo ſpiritum meum. Et cum ſermonis uſu prorſus deſtituar, ultimos, quæſo, gemitus cordis mei exaudi, Amen.

FINIS.






HODEGUS
AD
USUM
MEDITATIONUM
SACRARUM

ut &

EXERCITII PIETATIS

B. D. J. GERHARDI.





USUS

I.

Diurnus.

II. In

II.

In dies Septimanæ.

Die Solis.

III.

In Dominicas & Feſta.

Adv. I.

II. De

Ocu-

Fer.

XIII.

XIII. Trin.

XIV. Trin.

XV. Trin.

XVI. Trin.

XVII. Trin.

XIIX. Trin.

XIX. Trin.

IV.

Quoad Capita Catecheseos:

Decalogum.

Symbol. Apoſtol.

Art. I.

Art. II.

De

Pet.

De

Poſt.

Cœnæ Domin. conviva.

